DE

IUDICIO AB ARISTOTELE DE RE PUBLICA PLATONICA FACTO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

DIE VIII. M. IULII A. MDCCCLXVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADOLFUS EHRLICH

MITAVIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

RIC. THEOD. THIELE PHILOL. STUD.

OTTO MATTE THEOL. STUD.

HALIS SAXONUM

BREVITATIS CAUSA HOC LOCO LIBROS QUIBUS USUS SUM ENUMEREM UT EOS IN IPSA COMMENTATIONE AUCTORIBUS MODO LAUDATIS SIGNIFICARE POSSIM.

Aristoteles ed. Imm. Bekker.

Cicero.

Demosthenes.

Göthe (geschichte der farbenlehre I).

Plato ed. Schneider.

Quintilianus.

Ast, Friedrich, Platons leben und schriften. Leipzig 1816. 8.

Barthélemy-St.-Hilaire, Politique d'Aristote, tome I, Paris 1837. 8.

Biese, Franz, die philosophie des Aristoteles. 2 bände. Berlin 1835/42. 8.

[Boeckh, Aug.,] de simultate quam Plato cum Xenophonte exercuisse fertur. Berolini 1811. 4.

Brandis, Christian Aug., handbuch der geschichte der griechisch-römischen philosophie II. 2, 2. Berlin 1857. 8.

— — de perditis Aristotelis libris de ideis et de bono sive philosophia diatribe. Bonnae 1823. 8.

Carriere, Mauricius, de Aristotele Platonis amico eiusque doctrinae iusto censore. Gottingae 1837. 8.

Dilthey, C., Platonicorum librorum de legibus examen quo quonam iure Platoni vindicari possint adpareat. Gottingae 1820. 4.

Engelhardt, Frid. Guilelmus, loci Platonici quorum Aristoteles in conscribendis Politicis videtur memor fuisse. (hic tractatus invenitur in libello qui inscribitur 'Gymnasii Gedanensis sacra saecularia tertia rite celebranda indicit Dr. Frid. Guilelmus Engelhardt'. Gedani 1858. 4.)

Erdmann, Johann Eduard, grundrisz der geschichte der philosophie I. Berlin 1866. 8.

Hermann, Karl Friedrich, lehrbuch der griechischen antiquitäten I (statsaltertümer). Heidelberg 1841. 8.

— — — geschichte und system der Platonischen philosophie. Heidelberg 1839. 8.

Hildenbrand, Karl, geschichte und system der rechts- und statsphilosophie I. Leipzig 1860. 8.

Kranichfeld, W. R., Platonis et Aristotelis de ἡδονῇ sententiae quomodo tum consentiant tum dissentiant. Berolini 1859. 8.

Laas, Ernestus, εὐδαιμονία Aristotelis in Ethicis principium quid velit et valeat. Berol. 1859. 8.

Lachmann, Karl, betrachtungen über Homers Ilias. Berlin 1847. 8.; 2. aufl. Berl. 1865. 8.

Mai, Angelus, scriptorum veterum nova conlectio e Vaticanis codicibus. II. Romae 1827. 4.
Mohl, Robert von, die geschichte und litteratur der statswissenschaften I. Erlangen 1855. 8.
[Montesquieu,] de l'esprit des lois. Amsterdam 1749. 4.
Morgenstern, C., de Platonis re publica commentationes tres. Halis Saxonum 1794. 8.
Nickes, Ioannes Petrus, de Aristotelis Politicorum libris dissertatio. Bonnae 1851. 8.
Orges, Guilelmus, conparatio Platonis et Aristotelis librorum de re publica. Berol. 1843. 8.
Patricius, Franciscus, discussionum Peripateticarum tomi IV. Basileae 1581. fol.
Pierson, W., vergleichende charakteristik der Platonischen und der Aristotelischen ansicht vom state (Rhein. mus. neue folge. XIII. jahrg. 1858, p. 1—48. 209—247).
Pinzger, Gustavus, de iis quae Aristoteles in Platonis Politia reprehendit commentatio. Lipsiae 1822. 8.
Prantl, s. v. Aristoteles (J. C. Bluntschli's deutsches statswörterbuch I. Stuttgart und Leipzig 1857. 8.).
[Rapin, Renat.,] la comparaison de Platon et d'Aristote. Paris 1671. 8.
Reiz, Fridericus Volgangus, prosodiae Graecae accentus inclinatio. pars prima de accentus dispositione. Lipsiae [1775]. 4; epimetron partis I. Lipsiae 1782. 4.
Rettig, G., über Steinharts Susemihls und Stallbaums einleitung zu Platos stat (Rhein. mus. neue folge. XVI. jahrg. 1861, p. 161—197).
Ritter, Heinrich, geschichte der philosophie II. III. Hamburg 1830/1. 8.
Schoell, M. S. F., histoire de la littérature grecque profane. 2e edition. tome VIIe. Paris 1825. 8.
— — — — geschichte der griechischen litteratur, übersetzt von Dr. Moriz Pinder. III. Berlin 1830. 8.
Schwegler, Albert, geschichte der philosophie im umrisz. Stuttgart 1848. 8.
Stahr, Adolf, Aristotelia I. Halle 1830. 8.
Starke, Friedrich Gottlob, das Aristotelische statsprincip. Neu-Ruppin 1848. 4.
Stuhr, P. F., vom statsleben nach Platonischen Aristotelischen und christlichen grundsätzen I. Berl. 1850. 8.
Susemihl, Franz, die genetische entwickelung der Platonischen philosophie I. Leipzig 1855. 8.
Tennemann, Wilhelm Gottlieb, geschichte der philosophie III. Lpzg. 1801. 8.
Trendelenburg, Fridericus Adolphus, Platonis de ideis et de numeris doctrina ex Aristotele inlustrata. Lipsiae 1826. 8.
— logische untersuchungen. Berlin 1840. 8.
Ueberweg, Friedrich, grundrisz der geschichte der philosophie I. 3. aufl. Berlin 1867. 8.
Voigt, Moriz, das ius naturale, aequum et bonum und ius gentium der Römer I. Leipzig 1856. 8.
Wachsmuth, Hellenische altertumskunde I. 2. ausg. Halle 1844. 8.
Zeller, Eduard, die philosophie der Griechen II. 2. aufl. Tübingen 1862. 8.

Ut natura illorum veteris philosophiae principum, Platonis et Aristotelis, prorsus dissimilis quin etiam omnino diversa fuit[1]), id quod iam ab utriusque diversa vitae conditione profectum est[2]), ita opiniones eorundem et sententiae, quippe quae ex natura hominis emanent, itemque universus docendi dicendique modus multum inter se differunt[3]). in Platonis

1) cfr. Goethius (ed. min. vol. 53 p. 85, ed. 40 voll. vol. 39 p. 66). 'wenn ein par solcher männer' inquit 'die sich gewisser maszen in die menschheit teilten als getrennte repräsentanten herrlicher nicht leicht zu vereinender eigenschaften auftreten' et quae secuntur. item Hilarius (praef. p. VIII—IX) 'on a souvent essayé de comparer Aristote et Platon; mais la comparaison ne pourra jamais porter que sur leurs différences: car je ne sais, s'il est un seul point sur lequel ils se ressemblent.'

2) Rapinius p. 57 'les moeurs de Platon' inquit 'paroissent plus pures et plus innocentes que celles d'Aristote. La naissance et la bonne éducation contribuèrent peut-estre à donner cet avantage à Platon qui fut élevé en homme de qualité. Aristote fut reduit quelque temps à la necessité de faire l'empirique, pour avoir de quoy vivre: ainsi le mauvais estat de ses affaires l'engagea à une vie plus dépendante et plus meslée.' ceterum caute horum verborum habenda est ratio.

3) belle utrumque philosophum legimus quemadmodum notarit Goethius (ib. al. p. 84—85, al. p. 65—66). apud Rapinium p. 59 haec leguntur, 'Aristote est dur et sec en tout ce qu'il dit: mais ce sont des raisons, que ce qu'il dit, quoy qu'il le dise sechement. Sa diction toute pure qu'elle est, a je ne sçay quoy d'austère, et ses obscurités ou naturelles ou affectées dégoûtent et fatiguent la pluspart de ses lecteurs: Platon est delicat dans tout ce qu'il pense et dans tout ce qu'il dit.' scilicet istis Gallis mollis oratio potius probatur, quippe speciem externam quam maxime diligunt, dum nuda et inornata veritas sensum pulchri ac decori eorum offendit. at cfr. Hilarius l. l. p. VIII. 'De là' inquit 'toute la différence de forme entre le maître et son élève. A l'imagination a succédé la raison, à la poésie a succédé la science, à la psychologie enthousiaste — la sévère logique.' inprimis conferantur quae de Politicorum libris Aristotelis idem p. XV sentit. 'Dans la Politique se trouve, à un degré plus éminent peut-être que dans tout autre

enim ingenio sensa fere dominabantur, quibus adeo inflammabatur incitabaturque ut quodam quasi mentis fervore procul a terra abreptus gaudenti ac libenti animo in idearum regno versaretur et, quia id ad disserendi quoque genus multum valebat, poetarum more verba funderet[4]). Aristoteles contra in omnibus suis litterarum monumentis virum in arte vera a falsis diiudicandi peracutum multoque usu et prudentia praestantem se praebet, qui res caelestes considerans neutiquam simplicis veritatis oblitus est[5]). qui quaestiones adcuratissime percepit omnesque aperte disceptavit[6]), cum Plato qui minus naturas rerum quam figuras curabat quaestiones propositas non absolveret, sed in eo adquiesceret ut illas in medium proferret[7]).

Fuit qui Platonem et Aristotelem cum Schillero et Goethio conparare conatus est[8]). cum autem humanae na-

---

ouvrage, le caractère général de la philosophie aristotélicienne. La rigueur de la classification, la forme concise et logique du raisonnement, l'esprit de méthode, de régularité, tous les mérites d'Aristote y eclatent.'

4) Quint. X 1 81 de sermone qua utitur Plato recte iudicavit cum diceret 'multum enim supra prosam orationem et quam pedestrem Graeci vocant surgit: ut mihi non hominis ingenio sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus.'

5) Tennemannus p. 18 de ratione et disciplina Aristotelis haec disserit, 'ein in seinem grundrisse geordnetes ganzes, auf den principien des denkens gegründet, alle teile der natur umfassend, mit groszem scharfsinn entwickelt, stehet es im altertume einzig da. der logische verstandesgebrauch ist hier zum ersten male vollständig entwickelt, die grundsätze der erfahrungserkenntnis aufgestellt und die praktische philosophie systematischer behandelt, diese teile der philosophie genauer von einander geschieden, die begriffe und sätze deutlicher entwickelt und an bestimmte ausdrücke gebunden.' iure optimo igitur Aristoteles parens historiae philosophiae et bene a Mauricio Voigtio p. 113 'noch unübertroffenes prototyp des universalgenies' dictus est.

6) Arist. ist über die abstracten formen des denkens fortgeschritten zum concreten begrif (Biesius I. in praef. p. LVII). Arist. vermittelt auf speculative weise den gegensatz zwischen dem reellen und ideellen, befreiet die sinnliche welt von der bestimmung des bloszen scheins und erhebt sie zur wahrhaften wirklichkeit, in welcher sich die idee zur energie gestaltet (id. in exordio p. 43).

7) Susemihlius p. 8 'jedenfalls' inquit 'will er (sc. Plato) mehr anregen als nachhaltig belehren.'

8) Carriereus p. 16—17 adnot. 2.

turae omnino species sit gemina in philosophia, in arte, in ceteris eiusmodi, mihi quidem, si ex recentiore aetate contentionem fieri licet, cum illis Herderus rhetoricus et Lessingius dialecticus longe aptius videntur conferri posse. horum quoque inter se contrariae fuerunt naturae, ita ut alter sermonis elegentia animos lectorum sibi conciliare et ad se pellicere studeret eosque quadam picturarum imaginumque abundantia eo adduceret ut sibi adsentirentur, alter iustus rerum aestimator sana mente et iudicio intellegenti se probaret bene sentire et orationis simplicitate atque candore adpetito memoriam Aristotelis quocum animo coniunctus erat semper usurparet.

Plerumque quidem studia inter se diversa et repugnantia alteras partes apud alteras in invidiam vocant, quemadmodum Herderus quoad vixit Lessingium reprehendebat vellicabat perstringebat. attamen Stagirites magno suo magistro debitam reverentiam pietatemque numquam detrectavit[9]). sin autem nihilo minus haud raro in Platonem coortus est disceptando, eo inpulsus est, praetermissis aliis levioribusque causis[10]), illo animi inpetu ut cuncta ad summam veritatem exigeret, qua ei nihil erat praestabilius et cuius gratia vel suis propriis parcendi non integram sibi esse potestatem ratus est[11]).

Graeci vero in disiunctissimis diversissimisque rei publicae generibus numquam non putabant uniuscuiusque liberi viri esse studium navare virtuti civili cuius res esset universitas[12]), ita ut in vita actuosa genus contentionum humanarum esset nullum quod non totum ad rem publicam

9) cfr. quae disserit Stahrius p. 59—60.

10) cfr. apud eundem p. 55—58

11) Arist. 1096a 14—17. *δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας· ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.* quod praeclarum decretum a magistro accepit, qui eam sententiam hisce verbis expressit, *ἀλλ' οὐ γὰρ πρό γε τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνήρ* (Plat. Pol. 595c). habebat igitur Aristoteles Platonem rationum auctorem et praeceptorem (*φρονεῖ τὰ τοῦ Πλάτωνος*) etiam cum eo certans, ut recte docuit Pseudoammonius quem Stahrius p. 60 laudavit.

12) cfr. quae legimus apud Hildenbrandium p. 25.

rediret[13]). cuius auctoritas tantopere erat coniuncta Graecorum naturae ut omnes in eo consentirent ut ἕκαστος οὐχὶ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ μόνον γεγενῆσθαι ἀλλὰ καὶ τῇ πατρίδι existimaretur[14]). quo factum est ut inter ipsos Graecos plurimi philosophi praecipue rationibus rerum publicarum constituendarum et tuendarum explicandis darent operam[15]). res igitur cum sic sese habeat, potius utique fuisset quod miraremur si non perinde ac ceteri philosophi etiam Plato et Aristoteles animos ad rem publicam advertissent quam quod demiraremur eos hoc fecisse. quid quod Aristoteles rationis civilis finem τέλον ἄριστον[16]) et hominem φύσει πολιτικὸν ζῷον[17]) dicit? iam hac de causa sine ulla dubitatione et summa cum indignatione respuendum nobis est quod Montesquieus[18]) Aristotelem nequaquam leniter acceptum inique arguit et obtrectatione laudis Platonis magistri et amore Alexandri alumni conmotum de re publica scripsisse: quae falsa criminatio quam inepta sit atque absurda iam Hilarius[19]) argumentis gravissimis confirmat.

---

13) Ritterus II p. 439.

14) Demosthen. pro cor. § 205.

15) Vachsmuthius p. 326 § 36 haec loquitur, 'in diesen beiden gröszen (et alacritatis ubertatisque argumentorum civilium pariendorum et copiae modorum rei publicae partorum) ist die politische bedeutsamkeit jenes volkes zu suchen. kein anderes hat es darin erreicht.'

16) Ar. 1099b 29—30. cfr. ib. 1094a 26—28.

17) Ar. 1253a 3 et al.; cfr. infra adnot. 67.

18) lib. IIII c. VIII init. (p. 30) 'Aristote qui semble n'avoir fait sa Politique que pour apposer ses sentimens à ceux de Platon.' lib. XXIX c. XIX (p. 459) 'Aristote vouloit satisfaire tantôt sa jalousie contre Platon, tantôt sa passion pour Alexandre.'

19) l. c. pp. XXXI—XXXIV. 'il suffit' inquit 'pour réfuter cette opinion, qui n'est que spirituelle, de considérer, comme je l'ai fait plus haut, la place que la Politique tient dans la conception entière d'Aristote. Elle est à ses yeux, comme il le dit lui même (Moral. Nicom. in fine, ed. Bekker pag. 1181b 15), le complément de la philosophie de l'humanité, ἡ περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφία. Sans la Politique, le système d'Aristote est incomplet; et il n'est pas possible d'admettre qu'il se soit ci déterminé par un motif aussi frivole que celui qu'on lui prête. On doit

Sed nunc interiora videamus, unde manifestum fiat rem publicam Platonicam a Stagirita nisi insito quodam vera quaerendi studio non in iudicium vocatam esse.

---

même reconnaître que dans ses attaques contre les principes de Socrate et de Platon, Aristote a très souvent la raison et la vérité pour lui . . . . Quand au second reproche de Montesquieu, il est plus grave (?), mais tout aussi peu mérité que le premier' etc.

I.

Posteaquam primo de re publica libro fundamenta civitatis exposuit familiamque qua haec contineretur pertractavit, altero Aristoteles quaestionem quodnam rei publicae genus esset optimum adgressus est. hanc autem quaestionem more suo a rebus extantibus duxit, cum eximios rei publicae modos tam a viris doctis constitutos quam re consistentes excuteret atque certo iudicio ponderaret, ut ea summa quae ex hac investigatione conficeretur duce illam civitatis formam quae maxime idonea salutarisque videretur ad imitandum proponeret: quam inquisitionis rationem iam extrema philosophia morali[20]) indicavit. verum tamen alterum etiam habuit quod quae de optima re publica sentiret non illico diceret sed antea extantia examinaret. voluit enim ipsos lectores disceptationem persecutos rationibus adlatis sibi persuaderi posse formas civitatum inventas minime esse probabiles, ita ut rectiorem disciplinam pernecessariam esse consequatur neque auctori fiat convicium tamquam librum modo propterea conscripserit ut suam scientiam prae se ferret et ostentaret[21]).

---

20) Ar. 1181b 15—23. *πρῶτον μὲν οὖν εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν προγενεστέρων πειραθῶμεν ἐπελθεῖν, εἶτα ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καί φθείρει τὰς πόλεις καὶ τὰ ποῖα ἑκάστας τῶν πολιτειῶν, καὶ διὰ τίνας αἰτίας αἳ μὲν καλῶς αἳ δὲ τοὐναντίον πολιτεύονται. θεωρηθέντων γὰρ τούτων ταχ' ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν καὶ ποία πολιτεία ἀρίστη καὶ πῶς ἑκάστη ταχθεῖσα καὶ τίσι νόμοις καὶ ἔθεσι χρωμένη.*

21) Ar. 1260b 32—36. *ἵνα τό τ' ὀρθῶς ἔχον ὀφθῇ καὶ τὸ χρήσιμον, ἔτι δὲ τὸ ζητεῖν τι παρ' αὐτὰς* (sc. *τὰς ἄλλας πολιτείας*) *ἕτερον μὴ δοκῇ πάντως εἶναι σοφίζεσθαι βουλομένων ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ καλῶς*

Ante omnia autem eius permulti interfuit cum Platone transigere, cum et sibi et aliis rationem redderet eius necessitatis cur, licet cum magno magistro de rei publicae fine ac vi prorsus concineret, tamen in conmuni opinione exequenda diversam iniret viam[22]). contentionum igitur cum eis qui ante fuerunt initium a Platonis disciplina temptanda cepit[23]). quam, quantum res petit, hic primum adumbremus.

Iam in libro tertio[24]) et quarto[25]) operis quod est de re publica Plato fieri non posse ostendit ut civitas non simpliciter et absolute una esset, sicuti cuique homini, qui unum modo hominem se praeberet, unum solum negotium gerendum esset: quo loco simul conmunionem significavit, qua unitas illa inportaretur[26]). quam brevem conmunionis mentionem libro quinto persecutus multo adcuratius explicat, cum hoc libro ineunte Socratis auditores inducat etiam atque etiam magistrum rogantes ut quae extremis attigerit digitis pertexat et quomodo conmunio illa se habeat explanet, quoniam in recta rei exequendae ratione et via plurima quin etiam omnia vertantur[27]). his precibus conmotus, postquam τὸ ἀνδρεῖον ὁρᾶμια expeditum est, τὸ γυναικεῖον orditur[28]). rei publicae nullum esse maius

---

ἔχειν ταύτας ἰὰς νῦν ὑπαρχούσας, διὰ τοῦτο ταύτην δοκῶμεν ἐπιβαλέσθαι τὴν μέθοδον.

22) Brandisius hist. phil. p. 1659.

23) cfr. Engelhardtius p. 5 sqq.

24) Pol. 416 d. *πρῶτον μὲν οὐσίαν κεκτημένον μηδεμίαν μηδένα ἰδίαν, ἂν μὴ πᾶσα ἀνάγκη· ἔπειτα οἰκησιν καὶ ταμιεῖον μηδενὶ εἶναι μηδὲν τοιοῦτον εἰς ὃ οὐ πᾶς ὁ βουλόμενος εἴσεισι κτέ.*

25) ib. 423 d. *τοῦτο δ'ἐβούλετο δηλοῦν ὅτι καὶ τοὺς ἄλλους πολίτας πρὸς ὅ τις πέφυκε πρὸς τοῦτο ἕνα πρὸς ἓν ἕκασιον ἔργον δεῖ κομίζειν, ὅπως ἂν ἓν τὸ αὑτοῦ ἐπιτηδεύων ἕκαστος μὴ πολλοὶ ἀλλ' εἷς γίγνηται, καὶ οὕτω δὴ ξύμπασα ἡ πόλις μία φύηται ἀλλὰ μὴ πολλαί.*

26) ib. 423 e — 424 a. *πάντα ταῦτα ῥᾳδίως διόψονται καὶ ἄλλα γε ὅσα νῦν ἡμεῖς παραλείπομεν, τήν τε τῶν γυναικῶν κτῆσιν καὶ γάμων καὶ παιδοποιίας ὅτι δεῖ ταῦτα κατὰ τὴν παροιμίαν πάντα ὅτι μάλιστα κοινὰ τὰ φίλων ποιεῖσθαι.*

27) ib. 449 c — d. *ἀπορραθυμεῖν ἡμῖν δοκεῖς, ἔφη, καὶ εἶδος ὅλον οὐ τὸ ἐλάχιστον ἐκκλέπτειν τοῦ λόγου, ἵνα μὴ διέλθῃς, καὶ λήσειν οἰηθῆναι εἰπὼν αὐτὸ φαύλως, ὡς ἄρα περὶ γυναικῶν τε καὶ παίδων παντὶ δῆλον ὅτι κοινὰ τὰ φίλων ἔσται . . . . . μέγα γάρ τι οἰόμεθα ἡρέειν καὶ ὅλον εἰς πολιτείαν ὀρθῶς ἢ μὴ ὀρθῶς γιγνόμενον.*

28) cfr. Rettigius p. 190 sqq.

malum quam id quod eam laceret atque quasi plures pro una efficiat, nec ei esse maius bonum quam id quod eam contineat et unam reddat. atqui coniungere conmunem et voluptatem et dolorem, si omnes cives, quantum fieri queat, eisdem et unis commodis et incommodis pariter aut laetentur aut doleant; divortio contra atque discidio civium, si ea quae civitati obtingant alios gaudio alios maerore adficiant, eos qui conglutinati esse debeant dissolvi[29]). ex quo consequi nemini uni licere proprias habere possessiones, verum omnia omnibus debere conmunia esse.

Quod autem Plato opus esse dicit suum quemque negotium suscipere nec variis occupationibus distineri, eo labores dispertiendos esse indicat. qua quidem re cives in ordines rediguntur, quos sumpsit tres: philosophorum ordinem qui inperium teneat, tum custodes vel adiutores vel militum ordinem, denique operariorum ordinem[30]). tertium hunc ordinem ab omni parte rei publicae remotum et vitam privatam degentem duobus ordinibus prioribus qui se totos rei publicae darent providere voluit[31]). exclusit igitur quodammodo tertium ordinem ab ea re publica quam finxit. itaque ubi de conmuni in re publica possessione sermo est, hic solos ad custodes pertinet et una ad inperantium ordinem[32]), qui ex illorum numero creentur, cum viri aptissimi et spectatissimi qui ad hoc munus conformati sint domini civitatis constituantur[33]). hi quoque custodes eique perfecti nuncupantur, quod pro rebus civitatis et intestinis et externis eis exeu-

29) Pol. 462a—c.

30) ib. 369 sqq., 412 sqq.

31) ib. 416e.

32) sic etiam Piersonus. ait enim p. 28 'und dasselbe gilt in höherem grade vom archonten', p. 34 ' . . . alle wächter und wächterinnen einander verwandt, und der ganze wächter- und herscherstand bildet auch dem blute nach eine grosze echte familie.' pari modo Hildenbrandius p. 132 'für diese stände (et militum et inperatorum) hebt er daher das eigentum und die familie gänzlich auf.' nec aliter alii, quamquam Morgensternius (p. 215—216, p. 216 adnot. 108, p. 227—228) istam conmunionem non nisi ad militum ordinem referri censet.

33) Pol. 412d sqq. *ἐκλεκτέον ἄρ' ἐκ τῶν ἄλλων φυλάκων τοιούτους ἄνδρας οἳ ἂν σκοποῦσιν ἡμῖν μάλιστα φαίνωνται παρὰ πάντα τὸν βίον*

bandum vigilandumque est, dum militum ordo in salubribus consiliis efficiendis sua opera eos adiuvent[34]).

A custodibus autem, ut muneris sui officiis plane vacent et tempus ac diligentiam ad rem publicam adhibere in eamque omni cogitatione curaque incumbere possint, cuncta ea submoveantur quibus a cura salutis publicae ad privatum conpendium spectandum deducantur quibusque nimius sui amor aeque atque insolentia discordiaque augeantur, communis autem utilitatis tuendae studium conminuatur. at vero plerumque invidia et discidium e re familiari et opulentia exoriuntur: ius proprietatis persaepe discordiarum litiumque semen existit[35]). accedit quod ex eo quod unusquisque solus bona possidet maxime fastidium et superbia nascuntur et homines ideo ad avaritiam cupiditatemque et ad sua commoda sequenda necessario feruntur atque a rei publicae cura avocantur. apage igitur omnia singula peculia, ut ne habeat custos quae sua ducat!

Attamen ex alia etiam parte providendum erat ut qui civitati adscripti sunt, custodes dico qui soli putandi sunt cives absoluti, sese totos rei publicae traderent. idcirco omnis alius quam quo civitati adnexi sunt nodus tollendus omnisque alius amor caritati patriae longe longeque praestanti postponendus erat. solam enim patriae caritatem apud illos oportebat residere, ad quam unam omnia referrentur. itaque postulat Plato ut cives civitatem unius magnae familiae instar

---

ὃ μὲν ἂν τῇ πόλει ἡγήσωνται ξυμφέρειν πάσῃ προθυμίᾳ ποιεῖν, ὃ δ'ἂν μὴ μηδενὶ τρόπῳ πρᾶξαι ἂν ἐθέλειν κτλ.

34) ib. 413e—414b. *καὶ τὸν ἀεὶ ἔν τε παισὶ καὶ νεανίσκοις καὶ ἐν ἀνδράσι βασανιζόμενον καὶ ἀκήρατον ἐκβαίνοντα κατασταιτέον ἄρχοντα τῆς πόλεως καὶ φύλακα . . . ἆρ' οὖν ὡς ἀληθῶς ὀρθότατον καλεῖν τούτους μὲν φύλακας παντελεῖς τῶν τε ἔξωθεν πολεμίων τῶν τε ἐντὸς φιλίων, ὅπως οἱ μὲν μὴ βουλήσονται οἱ δὲ μὴ δυνήσονται κακουργεῖν, τοὺς δὲ νέους, οὓς νῦν δὴ φύλακας ἐκαλοῦμεν, ἐπικούρους τε καὶ βοηθοὺς τοῖς τῶν ἀρχόντων δόγμασιν; Ἔμοιγε δοκεῖ, ἔφη.*

35) cfr. inprimis ib. 464d—e. *τί δέ; δίκαι τε καὶ ἐγκλήματα πρὸς ἀλλήλους οὐκ οἰχήσεται ἐξ αὐτῶν ὡς ἔπος εἰπεῖν, διὰ τὸ μηδὲν ἴδιον ἐκτῆσθαι πλὴν τὸ σῶμα, τὰ δ'ἄλλα κοινά; ὅθεν δὴ ὑπάρχει τούτοις ἀστασιάστοις εἶναι ὅσα γε διὰ χρημάτων ἢ παίδων καὶ ξυγγενῶν κτῆσιν ἄνθρωποι στασιάζουσι. Πολλὴ ἀνάγκη, ἔφη, ἀπηλλάχθαι.*

habeant, in qua nemo vir cuipiam inprimis pater vel frater vel filius, nulla mulier nec mater nec soror nec filia videatur. instituendis autem diebus festis inter sacra sollemnia et cantus adolescentibus strenuis meliores feminas, verbo quidem sorte ductas, re vera a principibus delectas adduci iubet. quo ex conubio procreatos liberos, si validi sint, in domo conmuni conlocandos et a muliebribus mammis alendos esse, cavendum autem ne matres liberos suos cognoscant. eos vero natos qui inter septimum mensem et decimum post illud coniugium suscipiantur, ab omnibus uno et eodem tempore coniunctis suos esse putandos, hos autem a natis illis postea parentum loco habendos esse. verum quemadmodum nemo in re publica sibi quicquam adquirere possit, sed omnia consilia eis quae ad usum rei publicae pertineant posthabenda sint, ita etiam nuptias solum hac mente esse conciliandas ut civitati utiles cives gignantur. quapropter simulatque hoc officium expletum sit, coniuges separandos esse, dum principes de integro mulierum partitionem distribuant, per quam paria conmutentur[36]).

Sic igitur Plato rem publicam suam sese habere voluit, in qua soli custodes respicerentur eisque solis certa vivendi disciplina statueretur. hisce enim non licere ad familiam et possessionem animos adplicare neque quicquam sibi peculiare habere, sed rem familiarem mulieres filios cunctis conmunes esse debere[37]). qua institutione naturam rei publicae unam et simplicem reddi, quam, si apud custodes in quibus res

---

36) haec coniectura a Morgensternio p. 226 adnot. 137 ex Platonis Politia 457c facta recte mihi videtur rationibus fulta. conparato enim illo Platonis loco (*τὰς γυναῖκας ταύτας τῶν ἀνδρῶν τούτων πάντων πάσας εἶναι κοινάς, ἰδίᾳ δὲ μηδενὶ μηδεμίαν συνοικεῖν*) cum nuptiarum instituto (ib. p. 459e sqq.), vix meliorem reperias viam enodationis.

37) Pol. 416c — 417c, 421b sqq, 457c — 466. cfr. praeterea Plat. de legg. 739b—c: *πρώτη μὲν τοίνυν πόλις τέ ἐστι καὶ πολιτεία καὶ νόμοι ἄριστοι ὅπου τὸ πάλαι λεγόμενον ἂν γίγνηται κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν ὅτι μάλιστα· λέγεται δὲ ὡς ὄντως ἐστὶ κοινὰ τὰ φίλων. τοῦτ' οὖν εἴτε που νῦν ἔστιν εἴτ' ἔσται ποτέ, κοινὰς μὲν γυναῖκας, κοινοὺς δὲ εἶναι παῖδας, κοινὰ δὲ χρήματα ξύμπαντα, καὶ πάσῃ μηχανῇ τὸ λεγόμενον ἴδιον πανταχόθεν ἐκ τοῦ βίου ἅπαν ἐξῄρηται κτλ.*

publica maxime niteretur patrata esset, reapse in re publica conparere[38]).

Ut igitur quaestionem ad simplicem illam unamque naturam a Platone postulatam deducat[39]), Aristoteles ante omnia sentit tria inter cives conmunionis genera cogitari posse, aut omnes omnium rerum participes esse aut nihil inter eos conmune intercedere aut certis tantum quibusdam rebus conmunionem contineri. atqui nequaquam fieri posse ut nihil inter illos conmune intercedat, quia, praeterquam quod res publica conmunis sit atque iam cum eius notione conmunio aliqua conprehendatur, etiam in terra quam incolant conmunio posita sit, quandoquidem una urbs unus sit locus civesque in una hac urbe promiscue habitent. ergo reliqua modo duo genera locum habere posse, conmunionem aut quoad eius fieri possit conpletam aut tantum mancam. hoc autem genus in vulgarem consuetudinem venisse, illud a Platone in re publica quam finxerit ita postulatum esse ut etiam nati mulieres fortunae non singulis essent propria sed omnibus conmunia. proinde quaestionem esse utra constitutio plus rei publicae conducat.

Hoc igitur prooemio medias in res deducimur. tum a principio contra Socraticam seu Platonicam conmunionem universalem Aristoteles triplam interponit dubitationem. nimirum feminarum consortionem et variis postea explicandis difficultatibus inplicari nec ex argumentis prolatis necessario consequi. quin immo hanc institutionem omnino fieri non posse, si illam consideremus unitatem quam Plato civitati praefiniat quaque summa huius salus teneatur[40]). etenim unitate magis magisque adstricta fore ut civitas, cum tali modo ter-

38) Pol. 421a. *ἀλλὰ τῶν μὲν ἄλλων ἐλάττων λόγος. νευρορράφοι γὰρ φαῦλοι γενόμενοι καὶ διαφθαρέντες καὶ προσποιησάμενοι εἶναι μὴ ὄντες πόλει οὐδὲν δεινόν· φύλακες δὲ νόμων τε καὶ πόλεως μὴ ὄντες ἀλλὰ δοκοῦντες ὁρᾷς δὴ ὅτι πᾶσαν ἄρδην πόλιν ἀπολλύασι, καὶ αὖ τοῦ εὖ οἰκεῖν καὶ εὐδαιμονεῖν μόνοι τὸν καιρὸν ἔχουσιν.*

39) Ar. 1260b 36 sqq.

40) Pol. 462b. *ἦ μεῖζον ἀγαθὸν τοῦ ὅ ἂν ξυνδῇ τε καὶ ποιῇ μίαν; Οὐκ ἔχομεν.*

minis magis magisque angustis circumscribatur, sua orbetur natura, ex qua multitudinem contineat. quia enim civitas constet ex familiis, hac ex hominibus singulis, unamquamque trium harum partium sursum quodammodo magis esse unam quam antecedentem. sic fieri ut ei civitati quae unitas universalis reddatur gradus illi deorsum percurrendi sint: quo primum in familiam ac denique in individuum cogatur. id vero ut naturae rei consentaneum sit fieri non posse; quin sicui eius quod fieri non queat efficiendi data esset copia, eidem tamen illud facere non licere, quia exinde civitas non amplius foret civitas.

Verum enimvero civitatem non solum multitudinem esse, quae etiam aequalibus ex partibus conflata esse possit, sed multitudinem ex partibus dissimilibus conglutinatam. neque enim, quod ad civitatem attineat, in numero civium omnia verti. quod fieri posse vel in auxiliis, quibus liceat aequalibus esse, quoniam hic sola copia maximi sit ponderis, vel in aliqua natione[41]), ut in Arcadibus qui in populi unius corpus coaliti[42]) nec proprie civitatem efficientes dumtaxat viritim numerentur[43]). longe aliter civitatem sese habere. namque a coetibus aliis non solum quantitate sed etiam qualitate hanc differre, quippe quam necesse sit ex partibus diversis conpositam esse, quarum, quia alia sine alia cohaerere

41) Ar. 1261a 27 — 28, *διοίσει δὲ τῷ τοιούτῳ καὶ πόλις ἔθνους.* quem locum Hilarius his verbis interpretatur, '*ἔθνος* c'est l'agrégation, la réunion des hommes en corps de nation, mais sans institutions fixes, sans rapports déterminés et constants qui les tiennent politiquement liés les uns aux autres. *ἔθνος* est le germe de *πόλις*.'

42) Hilarius ad hunc locum haec explicat, 'les Arcadiens au centre du Péloponèse étaient restés à l'état de clan et n'avaient formé ni villes ni villages . . . . un an après la mort d'Épaminondas, 3e année de la 104e olymp. (362 av. J. C.), les Arcadiens étaient retournés à leurs chaumières isolées (voir Diod. de Sic., tome II, p. 372, 383 et 401).' cfr. Hermanni antiqq. p. 401 § 42 adnot. 7 et p. 409 § 177 adnot. 1.

43) miror Biesium II p. 424 Aristotelis sensu depravato eiusdem verba *ὅταν μὴ κατὰ κώμας ὥσι κεχωρισμένοι* (Bkk. 1261a 28 — 29 *κεχωριρισμένοι* mendo operarum) ita conprehendisse 'die in den dörfern zerstreut wohnen', ut exin verba *ἀλλ' οἷον Ἀρκάδες* his verbis explanare coactus sit ‚wie es ursprünglich bei den Arkadern war'.

non possit[44]), alia aliam adiuvare ac supplere debeat, si finem rei publicae propositum, vitam beatam[45]), contingi velimus. partibus igitur, ut multae corpus unum conficiant, non licere omnes eiusdem esse generis, quoniam alioquin tantummodo quasi acervus existeret, sed utpote diversis necessario suam cuique occupationem esse, quod idem ipse Plato[46]) voluerit; aequabili vero virium diversarum distributione mutuam ex-aequationem efficiendam esse, quae, ut in Ethicis[47]) exponitur, rerum publicarum fundamentum sit et columen[48]). quid quod vel in ea civitate in qua cuncti cives integra fruantur aequabilitate et summi cum infimis pari iure retineantur, ut per vices muneribus rei publicae fungantur[49]), non possint non existere diversitates, quandoquidem non omnes eodem tempore simul sed deinceps rato ordine inperium obtinere queant.

Ex qua dilucida disputatione sequitur unitatem illam Platonicam non solum non esse civitati naturaliter necessariam, verum etiam ipsi eius naturae oppositam, cum rem publicam extinguat bonumque adpetitum in contrarium vertat: id scilicet principium quod extinctionem adferat neutiquam vocari posse bonum.

Sub finem denique capitis secundi Aristoteles aliud etiam argumentum expromit, quo vicissim probetur ipsum contrarium illius unitatis absolutae praestantius esse. civitati enim subiectam esse notionem sibi sufficiendi, ut ad beate vivendum semet ipsa contenta sit atque omnia quae ad victum cultumque civium pertineant suppeditet[50]). id vero maiorem numerum

---

44) Ar. 1252a 26 sqq. *ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι κτλ.*

45) Ar. 1252b 28 — 30. *ἡ δὴ πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας ὡς ἔπος εἰπεῖν, γινομένη μὲν οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν.*

46) Pol. 423d.

47) Ar. 1132b 33 — 34. *τῷ ἀντιποιεῖν· γὰρ ἀνάλογον συμμένει ἡ πόλις.*

48) Biesius II p. 425; cfr. etiam I p. 643.

49) Ar. 1279a 8 — 10. *διὸ καὶ τὰς πολιτικὰς ἀρχάς, ὅταν ᾖ κατ' ἰσότητα τῶν πολιτῶν συνεστηκυῖα καὶ καθ' ὁμοιότητα, κατὰ μέρος ἀξιοῦσιν ἄρχειν.*

50) Ar. 1252b 27 — 29, *ἡ δ'ἐκ πλειόνων κομῶν κοινωνία τέλειος*

multo facilius adsequi posse quam paucitatem nedum singulos. unde patere familiam magis se ipsa contentam esse quam homines singulos, civitatem magis quam familiam. rem autem, ut quaeque sese maxime contenta sit, ita praestantissimam esse: unde effici ut quo quid minus unum sit, eo etiam praestantius sit re magis una.

Ex quibus omnibus intellegi Platonis opinionem inprobabilem esse, utpote qua civitatis et notio et praestantia tollatur ac deleatur.

πόλις ἡ δὴ πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας ὡς ἔπος εἰπεῖν. id. 1253a 1, *ἡ δ'αὐτάρκεια τέλος καὶ βέλτιστον.* id. 1097b 7 — 8, *τὸ γὰρ τέλειον ἀγαθὸν αὔταρκες εἶναι δοκεῖ.* hoc illud est quod dixit Plato in Pol. 369b — c, *γίγνεται τοίνυν, ἦν δ'ἐγώ, πόλις, ὡς ἐγῷμαι, ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής . . . οὕτω δὴ ἄρα παραλαμβάνων ἄλλος ἄλλον ἐπ' ἄλλου, τὸν δ'ἐπ' ἄλλου, χρείᾳ πολλῶν δεόμενοι πολλοὺς εἰς μίαν οἴκησιν ἀγείραντες κοινωνούς τε καὶ βοηθοὺς ταύτῃ τῇ ξυνοικίᾳ ἐθέμεθα πόλιν ὄνομα.*

II.

Censura de Platonis rei publicae constituendae ratione in Politicorum libro secundo ab Aristotele facta multas controversias conmovit. quarum non nullarum levitate et infirmitate demonstrata meam hac de re sententiam a fontibus arcessitam breviter aperiam.

Ac primas quidem tenent quae opposita sunt a Platonico quodam in eo libello cui est titulus *Ἐπίσκεψις τῶν ἀπ' Ἀριστοτέλους ἐν δευτέρῳ τῶν πολιτικῶν πρὸς τὴν Πλάτωνος πολιτείαν ἀντειρημένων* cuiusque partem quandam Angelus Maius[51]) in lucem protulit. in quo opusculo quicumque hoc confecit[52]) ea quae Aristoteles '*ὁ δαιμόνιος*' contra Platonem dixit refellere studebat. persequamur igitur eius vestigia verborumque pondera examinemus.

Iam primo capite adversus Aristotelis *ἀξιώματα*, non fieri

51) pp. 672 — 675.

52) neque enim auctorem illius libri certo cognitum habemus. nam in praefatione p. 671 Maius 'opusculi huius' inquit 'Proclum ipsum auctorem ego facile indicavissem, quandoquidem cum Proclo coniungitur non in Romano solum codice verum etiam in Florentino, uti lego apud Bandinium catal. Gr. tom. III p. 192. sed enim mox conparato opusculi titulo cum Longini verbis quae conservavit nobis Porphyrius in Plotini vita cap. XX, multo antiquioris auctoris, id est Eubuli Platonici, scriptum habere me in manibus existimavi. sic enim Longinus loquitur, *οἱ Ἀθήνησι διάδοχοι Διόδοτος καὶ Εὔβουλος -- Εὐβούλῳ δὲ γέγραπται τὸ περὶ τῶν Ἀριστοτέλει πρὸς τὴν Πλάτωνος πολιτείαν ἀντειρημένων*.' — Hermannus Plat. phil. p. 708 adnot. 732 et Hildebrandius p. 408 adnot. 1 Schoellium dicunt illud scriptum ad Proclum rettulisse. sed is in editione Germanica (tom. III p. 382) quam illi spectant minime hoc pro certo dicit. immo planissime haec addit p. 383, 'sie könnte indesz, nach einer stelle des Longinus zu urteilen, von dem Platoniker Eubulus herrühren'. in Francogallica vero editione altera ubi Procli res tractantur (tom. VII p. 106—115) istius libelli nulla fit mentio.

posse ut omnibus omnia sint conmunia, Platonem ille defendit. en eius verba. εἴρηται δὲ καὶ ὑπὸ Πλάτωνος ὅτι πάντων μὲν εἶναι κοινωνίαν οὐκ ἐνδέχεται· τὸ δὲ ὡς πλείστην εἶναι τὴν κοινωνίαν αἱρετὸν ἐν ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν· καὶ δεδήλωκεν τὸ μὲν πρότερον ἐν οἷς διορίζεται, καὶ προστάττει χρῆναι ἕκαστον ἕν τι ἐπιτηδεύειν πρὸς ὃ πέφυκεν καὶ μὴ ὑφαρπάζειν τινὰ τὸ μηδὲν ἐν αὐτῷ προσῆκον ἐπιτήδευμα καὶ ἔργον. εἰ γὰρ τοῦτο ἀληθές, οὐ πάντες πάντων κοινωνήσουσιν ἐπιτηδευμάτων, ἀλλ' οἱ ὁμοφυεῖς τὰ αὐτὰ ἐπιτηδεύσουσιν μόνον. τὸ δὲ δεύτερον ἐν οἷς φησιν χρῆναι συντετάχθαι πρὸς ἑαυτὴν οὕτω τὴν πόλιν ὡς ἑνὸς μέρη σώματος· καὶ γὰρ ταῦτα διαφέρει μὲν ἀλλήλων καὶ ἄλλο ἄλλου ἔργον, ὡς τὸ μὲν ὁρᾶν τὸ δὲ ἀκούειν τὸ δὲ κινεῖν τὸ δὲ τρέφειν· πάντα δὲ ἀλλήλοις συμπαθεῖ καὶ μίαν ζωὴν ζῇ et quae secuntur.

Quae verba quam inania sint pluribus argumentari non est necesse. nescio enim ubi Aristoteles cum Platone de eo expostulet quod hic consortium sine ulla exceptione voluerit. at auctor illius scripti, cum vehementer cupidus sit Platonis atque opinione praeiudicata ad rem adgrediatur, etiam gravem illam Aristotelis vocem ὅσων ἐνδέχεται κοινωνῆσαι[53]) neglegit, quae prorsus idem valet ac Platonis verba πάντα ὅτι μάλιστα κοινὰ τὰ φίλων ποιεῖσθαι[54]). neque vero Stagiritae in mentem venisse illud praeceptori suo obicere satis superque iam ea re declaratur quod semper solum de liberorum mulierum possessionum conmunione disserit[55]). verum tamen reapse Plato cuique nihil proprium esse voluit nisi corpus[56]), cum singula membra, oculi aures manus, pariter conmunia esse deberent omnium[57]), quo perfecta unitas efficeretur. ceterum infra ad hoc caput revertemur.

---

53) Ar. 1261a 2.

54) Pol. 424a.

55) Ar. 1261a 4—8. ἐνδέχεται γὰρ καὶ τέκνων καὶ γυναικῶν καὶ κτημάτων κοινωνεῖν τοὺς πολίτας ἀλλήλοις, ὥσπερ ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ Πλάτωνος. ἐκεῖ γὰρ ὁ Σωκράτης φησὶ δεῖν κοινὰ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας εἶναι καὶ τὰς κτήσεις.

56) Pol. 464d. διὰ τὸ μηδὲν ἴδιον ἐκτῆσθαι πλὴν τὸ σῶμα, τὰ δ' ἄλλα κοινά.

57) cfr. legg. 739c. μεμηχάνηται δ' εἰς τὸ δυνατὸν καὶ τὰ φύσει

Contra Aristotelis vero conclusionem, ex illa unitate quam Plato voluerit necesse esse civitas fiat familia et postremo tamquam unus homo, scriptor ille in capite secundo haece ait, *πρὸς δὲ ταύτην τὴν ἐπιβολὴν τοῦ λόγου δεῖ λέγειν ὅτι τὸ ἓν οὐκ ἔστι τοιοῦτον οἷον αὐτὸς ὑπέλαβεν τὸ ἄτομον καὶ τῷ ἀριθμῷ εἰς ὃ κατήγαγεν τὴν πόλιν, ὃ δὴ λόγον ὕλης ὑπέχει πρὸς τὴν σύμπασαν πόλιν· ἐκ γὰρ τῶν πολλῶν ἀνθρώπων ἡ πόλις. ἀλλὰ τὸ κρεῖττον τῶν μερῶν καὶ τὸ συναγωγόν ἐστιν οὕτως τῶν πολλῶν ὡς ὑπερέχον αὐτῶν· καὶ εἶναι τελικὸν αἴτιον ἀλλ' οὐ συναίτιόν τι καὶ ὑλικόν. ἐπεὶ καὶ τοῦ σώματος ἡμῶν ἐκ πολλῶν ὄντος, ἕκαστον τῶν ἐν αὐτῷ μερῶν ἕν τί ἐστιν, ἀλλ' ὡς ὕλην τοῦ ὅλου τοῦτο τὸ ἕν· τὸ δὲ μάλιστα ἓν τοῦτό ἐστιν τὸ συνέχον τὸ σῶμα· εἴτε λόγος εἰς φυσικὸς εἴτε καὶ ψυχή τις δι' ἣν ἓν τὸ σῶμά ἐστιν, ἢ ταῦτα ἐκ πολλῶν ὄν. διττὸν οὖν τὸ ἕν, ἢ τὸ ὑλικὸν ἢ τὸ τελικόν. καὶ ἐπεὶ ἑνίζειν θέλει τὴν πόλιν, οὐχ ὡς εἰς ὑλικον*[58] *αὐτῇ ἓν κατάγων μηχανᾶται τὴν ἕνωσιν, ἀλλ' εἰς τὸ τελικὸν καὶ αὐτὸ τὸ ἀγαθόν, διὸ καὶ ἀφ' οὗ πᾶσιν ἡ ἕνωσις. ὅθεν καὶ ὁ Σωκράτης τοῦτο ζητῶν τὸ συνέχον τὴν πόλιν μηχανᾶται τὴν κοινωνίαν τὴν ἐν τοῖς πλείστοις, ὡς ὁμιονοίας αἰτίαν καὶ ἀστασίαστον αὐτὴν φυλάττουσαν. ὅταν οὖν λέγῃ τὸ ἓν ἀναιρεῖν τὴν πόλιν, τὸ δὲ ἑκάστου ἀγαθὸν σώζειν ἕκαστον, αἰτιασόμεθα τὴν ἑτέραν πρότασιν τὸ ἓν ἐκεῖνο λαμβάνουσαν, οὐχὶ τὸ συναγωγὸν τοῦ πλήθους ἢ συνεκτικόν ἀλλὰ τὸ ὑλικόν. τοῦτο γὰρ ἀναιρετικὸν ὄντως τοῦ πλήθους καὶ τῆς ὁλότητος, μέρος ὂν ἀλλ' οὐχ ὅλον· ἐκεῖνο δὲ σώζει μειζόνως τὸ ὅλον, συμπαθείας ὂν αἴτιον καὶ ὁμονοίας.*

Similiter alii quoque aestimatores et iudices, ex quibus conmemorare lubet Pinzgerum[59], Aristotelem minime molli bracchio hic obiurgabant, illum quidem unitatis et conspirationis species permiscuisse dicentes. quam levis et infirma sit ista obiectatio iam Biesius[60] demonstravit. quid? si, sin-

---

ἴδια κοινὰ ἁμῳγέπῃ γεγονέναι, οἷον ὄμματα καὶ ὦτα καὶ χεῖρας κοινὰ μὲν ὁρᾶν δοκεῖν καὶ ἀκούειν καὶ πράττειν.

58) manifesto errore in Maii exemplar hoc loco *τελικὸν* pro *ὑλικὸν* inrepsit.

59) p. 34. 'confudit summus philosophus notiones unitatis et continuitatis'.

60) II p. 426 adnot. 1; cfr. ib. p. 424.

gulari rerum specialium conformatione, quae et in vita domestica libere excolenda et in rebus privatis inest, omissa, tantum generalis substantia rei publicae obtinenda est, ut singuli rerum conmunium gratia haudquaquam sint respiciendi, cum nemini nec arbitrium nec propositum ullum sit datum quod cum conmuni arbitrio et proposito non congruat conveniatque, qua re hominum libertas extirpatur et funditus tollitur; si in re publica nihil aliud extat quam ipsa res publica, quandoquidem eius partium ratio nulla ducitur, ut tota civitas omnino unus homo grandis habenda sit[61]): nonne re vera unitas a Platone expetita nihil est nisi externa quaedam adventiciaque et numero modo una?[62]) quo longius igitur perrexeris civitati talem inculcare conformationem extrinsecus solum adductam ad unitatem, id quod uxorum ac rei familiaris conmunione evenit, et quo magis hoc modo omnia peculiaria aboleveris, eo minus res publica ad finem propositum perveniet; quin etiam fieri non potest ut naturam suam, quae multarum domorum consociatione continetur, non amittat.

At enim Plato etiam diversitatem voluit, cum suum cuique munus describeret![63]) Sed singuli in re publica a Platone ficta pro nihilo sunt: namque unusquisque civis non suum sequens iudicium sed pulsu alieno motus machinae instar nihil est aliud quam pars totius corporis per se nihil valens, nec sibi, quoniam ipse non est suus, quisquam laborat sed cunctae civitati eiusque causa, ut proprietas negotii non ipsi

---

61) cfr. Pol. 441 c sqq. et al. Erdmannus § 79 3, p. 108 sq.

62) audi sententiam Prantlii qui p. 360 haec dicit, 'jedenfalls hat Aristoteles mit den wesentlichen bestandteilen und statlichen tätigkeiten den begrif eines organismus gewonnen, und er ist hiedurch zu seiner principiellen und ausführlichen polemik gegen Plato berechtigt, welcher die einheit des stats darin suchte dasz er denselben mit einem menschen-individuum parallel stellte'.

63) sic censor Platonicus (vide supra p. 16) et Pinzgerus p. 36 'suas autem unumquemque res agere nemo magis postulavit Platone'. simili modo Patricius p. 350 ad verba Aristotelis 1261 a 18 *πλῆθος γάρ τι τὴν φύσιν ἐστὶν ἡ πόλις* haece notat, 'arguta sane reprehensio, quasi Socrates non velit civitatem esse quandam hominum multitudinem muneribus distinctam, non unam corpore sed mente ac concordia *ὁμονοίᾳ* animo uno'.

tribui possit, sed necessario sit unitatis. talis vero unitas una cum diversa multitudine, quae quidem civitas utique est, nullo modo constare potest[64]).

Verum enimvero etiam Aristoteli res publica est unitas quaedam et, cum omnia ad finem bonorum referat, societas princeps quae cunctas societates ceteras conplectitur[65]); nimirum Stagirites rem publicam per se et domo et singulis priorem censet[66]), ita ut homo ad virtutem civilem natus sit[67]). audio: sed singuli minime sunt animalia non sui arbitrii, nec rei publicae notio ita subiecta est unitatis sententiae ut cuiusque actio propria reprimatur[68]). etenim ratio cum re publica et familiae et singulis intercedens libera est, quippe qui multo maiorem habeant potestatem quorumque arbitrio in campo longe latiore vagari liceat[69]). postulavit sane Stagirites rei

64) hoc quidem Pinzgeri aciem, nisi praestricta fuisset praeiudicato, minime fugere potuisset, cum pergeret l. c. 'quid vero unitati officiat diversitas civium non adparet'.

65) Ar. 1252a 4—7. *πᾶσαι μὲν* (sc. *αἱ κοινωνίαι*) *ἀγαθοῦ τινὸς στοχάζονται, μάλιστα δὲ καὶ τοῦ κυριωτάτου πάντων ἡ πασῶν κυριωτάτη καὶ πάσας περιέχουσα τὰς ἄλλας· αὕτη δ'ἐστὶν ἡ καλουμένη πόλις καὶ ἡ κοινωνία ἡ πολιτική.* cfr. 1094b 4—7.

66) Ar. 1253a 18 — 20. *καὶ πρότερον δὴ τῇ φύσει πόλις ἢ οἰκία καὶ ἕκαστος ἡμῶν ἐστίν· τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους.* cfr. Hermannus antiqq. § 51 p. 118—119. praeterea cfr. Ar. 1094b 7 — 10.

67) Ar. 1169b 18 — 19, 1252b 30 sqq., 1253a 1 sqq., 1278b 19 etc. quapropter 1181b 15 *ἡ περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφία.*

68) Ar. 1263b 31 — 37. *δεῖ μὲν γὰρ εἶναί πως μίαν καὶ τὴν οἰκίαν καὶ τὴν πόλιν, ἀλλ' οὐ πάντως· ἔστι μὲν γὰρ ὡς οὐκ ἔσται προϊοῦσα πόλις, ἔστι δ'ὡς ἔσται μέν, ἐγγὺς δ'οὖσα τοῦ μὴ πόλις εἶναι ἔσται χείρων πόλις, ὥσπερ κἂν εἴ τις τὴν συμφωνίαν ποιήσειεν ὁμοφωνίαν ἢ τὸν ῥυθμὸν βάσιν μίαν. ἀλλὰ δεῖ πλῆθος ὄν, ὥσπερ εἴρηται πρότερον, διὰ τὴν παιδείαν κοινὴν καὶ μίαν ποιεῖν.* unde patescit Aristotelem unitatis et unanimitatis discrimen haud ignorasse.

69) Schweglerus p. 75. cfr. Orgesius p. 41 — 42, Plato enim postulat absolutam unitatem qua singularis homo non amplius sit per se aliquid; Aristoteles vero quaerit quaenam sint quae ad partes singulas pertineant, quae plerisque vel omnibus optima sit civitatis institutio. id. p. 51, neque enim cum Platone non consentit, cum hominem per se agentem et sua tantum commoda spectantem nihil proficere posse indicavit, sed totam humanam societatem, quae rem publicam conponit, vinculo uno et inseparabili continere oportere.

publicae quandam unitatem, at non extrinsecus admotam neque a sensuum consuetudine seiunctam, sed intestina conpositione captam et ex distinctis rationibus a rerum natura profectis adreptam, quae in sese dissimilitudinem et statuit et tollit, ut ipsa tamquam agitatio quaedam ex omnibus partibus variis illis quidem et cogitatione inter se differentibus, re autem connexis et aptis rem publicam universam conglutinet[70]). quid plura? Platonis unitas est machinationis, Aristotelis temperationis[71]).

Sed redeat tandem unde deflexit disputatio. in tertio libelli sui capite[72]) propugnator ille Platonis de Aristotelis iudicio, Platonica unitate τὴν αὐτάρκειαν deleri[73]), sic disserit. πάλιν δὴ καὶ οὗτος ὁ λόγος λαμβάνει παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν τοῦ ἑνὸς τὸν ἔλεγχον ποιῶν, ὥσπερ καὶ ὁ πρότερος. πόλις γὰρ οἰκίας καὶ ἑνὸς ἀνδρὸς οἰκία καὶ αὐταρκέστερον καὶ μᾶλλον ἕν, καὶ ἧττον αὔταρκες καὶ ἧττον ἕν. εἰ μὲν γὰρ τὸ μόνον λαμβάνοις καὶ ὃ εἴπομεν ὕλης ἔχειν τάξιν, καὶ ἧττόν ἐστιν ἓν ἡ πόλις· πολλῶν γὰρ δεῖται τοιούτων οἷόν ἐστιν τὸ ἄτομον. καὶ ἧττον αὔταρκες· πλειόνων γὰρ δεῖ τῇ πόλει προσεῖναι καὶ σώζεσθαι ἢ ὧν δεῖται ὁ εἷς· ὥσπερ καὶ πᾶν ὅπερ ἂν ᾖ ὅλον τοῦ οἰκείου μέρους. εἰ δὲ τὸ ὡς ἀληθῶς ἓν ὃ δὴ τῷ τελείῳ ταὐτόν, καὶ μᾶλλον ἓν ἡ πόλις τοῦ ἑνὸς καὶ μᾶλλον αὔταρκες, ὥσπερ καὶ τὸ ὅλον μᾶλλον ἑκάτερον ἢ τὸ μέρος· τοῦτο γὰρ συνέχει, συνέχεται δὲ τὸ μέρος· τὸ δὲ συνέχον μᾶλλον ἓν ἢ τὸ ὑπ' αὐτοῦ συνεχόμενον· καὶ μᾶλλον αὔταρκες ἢ τὸ ἐν αὐτῷ περιεχόμενον· δεῖται γὰρ τῶν ἄλλων μερῶν. πάλιν

---

sed ipsum hoc sine singulorum hominum libertate, ita ut ex libero arbitrio agere possint, et nisi propria cuique bonorum possessio concessa sit, fieri posse Aristoteles praecise negat, et in hac quidem re a Platone vehementer discrepat. id. p. 53, statuit igitur, uti Plato, unitatem quandam, neque vero absolutam sed humanae menti ac rationi adcommodatam.

70) Biesius II p. 424; cfr. eiusdem vol. I p. 60 adnot. 2 & p. 628 adnot. 5. nec vero non audiendus est Starkius p. 5. Platonem ait voluisse unitatem absolutam, cum Aristoteles rem publicam diversarum naturae institutionum conciliationem existimaret.

71) inter quas quod intersit, concinne acuteque tractatum est a Trendelenburgio in quaestionibus logicis vol. II p. 73 sqq.

72) Maius p. 673 — 675.

73) Ar. 1261b 10 — 15.

οὖν καὶ οὗτος ὁ λόγος διελὼν τοῦ ὅλου καὶ τελείου τὸ ἓν καὶ εἰς τὸ ὡς μέρος καὶ ἀτελὲς φερόμενος οὕτως ἠρώτηται. καὶ δοκεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὔταρκες ἐπ᾽ ἀλλήλων διοικίζειν κτλ.

Praeterquam quod ex scriptoris captione contorta et aculeata plane non intellego quemadmodum toti rei ideo maior possit attribui unitas quam parti[74]) quod huic ceterae partes desint (pernego enim vocabula unius et totius idem declarare, id quod ille contendit), iam eis quae ad confutanda capitis alterius argumenta attuli tota Platonici istius conclusio reprobata atque res expedita esse mihi videtur. recte quidem Aristoteles vir ingenii acerrimi τὸ ἓν quod Platoni placuit vere esse ἓν ἄτομον percipit[75]): ex quo illud quod a Stagirita conlectum est cogitur, tale ἓν sane esse ἧττον αὔταρκες.

Sin autem Pinzgerus[76]) etiam hic, sicut ubicumque de Platonis unitate fit mentio, non tantum pariter Aristoteli confusionem unitatis et unanimitatis notionum obicit, sed etiam gloriose dictitat, velut 'ea prorsus indigna videtur tanto philosopho'[77]) vel 'hacc Aristotelis vix refutatione egere videntur'[78]): nos quidem, secundum ea quae exposuimus, huiusmodi verba minime tanti esse censemus ut eis respondere opus sit. tales vero voces ille multas iecit insolenter. 'aliud enim est' inquit[79]) 'quod dicit (sc. Plato) p. 462 ἥτις δη ἐγγύτατα ἑνὸς ἀνθρώπου ἔχει'. sed qua tandem ratione aliud? id profecto non sine causa reticetur. quodsi vocabulo ἐγγύτατα nisus est, vacillans illud et claudicans firmamentum omnino labefactabitur vel potius subruetur, cum pauca modo apud Platonem loco laudato subsequentia legeris[80]), ex

74) quanto rectius Aristoteles 1261a 20 — 21, μᾶλλον γὰρ μίαν την οἰκίαν τῆς πόλεως φαίημεν ἂν καὶ τὸν ἕνα τῆς οἰκίας.

75) cfr. Ar. 1263b 29 — 35. αἴτιον δὲ τῷ Σωκράτει τῆς παρακρούσεως χρὴ νομίζειν τὴν ὑπόθεσιν οὐκ οὖσαν ὀρθήν κτλ.

76) p. 32 — 36.

77) p. 35.

78) p. 36.

79) ib. adnot. 4.

80) Pol. 462c — e. καὶ ἥτις δὴ ἐγγύτατα ἑνὸς ἀνθρώπου ἔχει; οἷον ὅταν που ἡμῶν δάκτυλός του πληγῇ, πᾶσα ἡ κοινωνία ἡ κατὰ τὸ σῶμα πρὸς τὴν ψυχὴν τεταμένη εἰς μίαν σύνταξιν τὴν του ἄρχοντος ἐν αὐτῇ

quibus perspicue elucet Platonem non dubie rem publicam velle pro homine uno haberi, id quod etiam ex aliis locis adparet, ubi rei publicae conformationem cum animi partibus contendit[81]). verum plane et aperte in libro qui est de legibus[82]) ait victum in perfecta re publica nimirum non alium esse atque victum unius hominis. longe secus contra Aristoteles: qui etsi multitudinem cum homine conparavit, tamen hunc multis pedibus manibus sensibus instructum finxit[83]).

Neque vero hoc loco silentio possum praeterire Pinzge-

ἤσθετό τε καὶ πᾶσα ἅμα ξυνήλγησε μέρους πονήσαντος ὅλη, καὶ οὕτω δὴ λέγομεν ὅτι ὁ ἄνθρωπος τὸν δάκτυλον ἀλγεῖ· καὶ περὶ ἄλλου ὁτουοῦν τῶν τοῦ ἀνθρώπου ὁ αὐτὸς λόγος, περί τε λύπης πονοῦντος μέρους καὶ περὶ ἡδονῆς ῥαΐζοντος. Ὁ ἀδιὸς γάρ, ἔφη· καὶ τοῦτο ὃ ἐρωτᾷς τοῦ τοιούτου ἐγγύτατα ἡ ἄριστα πολιτευομένη πόλις οἰκεῖ. Ἑνὸς δή, οἶμαι, πάσχοντος τῶν πολιτῶν ὁτιοῦν ἢ ἀγαθὸν ἢ κακὸν ἡ τοιαύτη πόλις μάλιστά τε φήσει ἑαυτῆς εἶναι τὸ πάσχον καὶ ἡ συνησθήσεται ἅπασα ἢ ξυλλυπήσεται. cfr. ib. 423d, *ὅπως ἂν ἓν τὸ αὐτοῦ ἐπιτηδεύων ἕκαστος μὴ πολλοὶ ἀλλ' εἷς γίγνηται, καὶ οὕτω δὴ ξυμπασα ἡ πόλις μία φύηται ἀλλὰ μὴ πολλαί.*

81) cfr. Pol. 440e — 441a. *ἦ καθάπερ ἐν τῇ πόλει ξυνεῖχεν αὐτὴν τρία ὄντα γένη, χρηματιστικὸν ἐπικουρικὸν βουλευτικόν, οὕτω καὶ ἐν ψυχῇ τρίτον τοῦτό ἐστι τὸ θυμοειδές, ἐπίκουρον ὂν τῷ λογιστικῷ φύσει, ἐὰν μὴ ὑπὸ κακῆς τροφῆς διαφθαρῇ;* Ἀνάγκη, *ἔφη, τρίτον.* ib. 441c—d, *ταῦτα μὲν ἄρα, ἦν δ' ἐγώ, μόγις διανενεύκαμεν, καὶ ἡμῖν ἐπιεικῶς ὁμολογεῖται τὰ αὐτὰ μὲν ἐν πόλει τὰ αὐτὰ δ' ἐν ἑνὸς ἑκάστου τῇ ψυχῇ γένη ἐνεῖναι καὶ ἴσα τὸν ἀριθμόν . . . . καὶ τἆλλα πάντα πρὸς ἀρετὴν ὡσαύτως ἀμφότερα ἔχειν.*

82) Legg. 828 extr. *δεῖ δὲ αὐτὴν καθάπερ ἕνα ἄνθρωπον ζῆν εὖ.* cfr. Ritterus II p. 438—439. — minime vero sententiam eorum conprobare possum qui librum de legibus a Platone abiudicant. cfr. Diltheyus inprimis inde a p. 13 sqq. Hermannus Plat. phil. p. 547 'was dagegen' inquit 'die gesetze betrift, so sind sie trotz des mangels stilistischer glätte auf der einen und speculativer höhe auf der anderen seite eins der herrlichsten vermächtnisse von Plato's weisheit, das nur von der höchsten einseitigkeit und befangenheit des urteils für unecht erklärt werden konnte'. quibuscum verbis conferantur quae idem scripsit ibid. p. 548 sqq. et Hildebrandius in adnot. p. 176 sqq.

83) Ar. 1281b 4 — 10. *πολλῶν γὰρ ὄντων ἕκαστον μόριον ἔχειν ἀρετῆς καὶ φρονήσεως, καὶ γίνεσθαι συνελθόντας ὥσπερ ἕνα ἄνθρωπον τὸ πλῆθος πολύποδα καὶ πολύχειρα καὶ πολλὰς ἔχοντ' αἰσθήσεις· οὕτω καὶ περὶ τὰ ἤθη καὶ τὴν διάνοιαν.*

rum[84]) etiam aliam indiligentiam Aristoteli exprobrare, qua huius argumenta dilui putat. Aristotelem enim negat indicavisse Platonem consortium voluisse solis rei publicae custodibus institui: apud quos illud vel effici non posse vel nihil prodesse probandum fuisse ut rationes essent idoneae. sed primum satis saepe Aristoteles ostendit se Platonis sententiam neque perperam intellexisse neque ita intellegere voluisse, verum in partem optimam accepisse minimeque ignorasse illud institutum solum ad custodum ordinem pertinere[85]), ut profecto illam communionem quatenus ad hunc ordinem spectat in disceptationem vocaverit. porro plane et dilucide dicit[86]) talia potius tertio ordini fuisse instituenda quam custodibus, quod Plato voluerit. cum tamen Aristoteles a principio de re universa agit, dumtaxat sermone utitur, opinor, ipsius Platonis qui pari modo generatim locutus est et illud *κοινὰ τα φίλων* trivit[87]), quoniam ordinem tertium, tamquam si omnino

84) p. 29—31 'primum' inquit 'notandum est Aristotelem non significasse Platonem hanc uxorum liberorum et possessionum societatem in custodum tantum ordine constituisse, dum dicit *ἐκεῖ γὰρ ὁ Σωκράτης φησὶ δεῖν κοινὰ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας εἶναι καὶ τὰς κτήσεις* et paullo post *τὸ πάντων εἶναι τὰς γυναῖκας κοινάς*. ad hanc rem autem praecipue erat attendum, si recte volebat iudicare de Platonis sententia . . . . . hoc igitur agendum erat Aristoteli ut ostenderet uxorum liberorum et possessionum communionem vel inpossibilem vel inutilem esse in custodum ordine, siquid dixisse videri volebat'.

85) Ar. 1264a 11—18. *οὐ μὴν ἀλλ' οὐδὲ ὁ τρόπος τῆς ὅλης πολιτείας τίς ἔσται τοῖς κοινωνοῦσιν οὔτ' εἴρηκεν ὁ Σωκράτης οὔτε ῥᾴδιον εἰπεῖν· καίτοι σχεδὸν τό γε πλῆθος τῆς πόλεως τὸ τῶν ἄλλων πολιτῶν γίνεται πλῆθος, περὶ ὧν οὐδὲν διώρισται, πότερον καὶ τοῖς γεωργοῖς κοινὰς εἶναι δεῖ τὰς κτήσεις ἢ καὶ καθ' ἕκαστον ἰδίας, ἔτι δὲ καὶ γυναῖκας καὶ παῖδας ἰδίους ἢ κοινούς. εἰ μὲν γὰρ τὸν αὐτὸν τρόπον κοινὰ πάντα πάντων, τί διοίσουσιν οὗτοι ἐκείνων τῶν φυλάκων;* id 1264b 16 *τὴν εὐδαιμονίαν ἀφαιρούμενος τῶν φυλάκων κτέ.*

86) Ar. 1262a 40—1262b 1. *ἔοικε δὲ μᾶλλον τοῖς γεωργοῖς εἶναι χρήσιμον τὸ κοινὰς εἶναι τὰς γυναῖκας καὶ τοὺς παῖδας ἢ τοῖς φύλαξιν.*

87) sic Pol. 424a, *ὅτι δεῖ ταῦτα κατὰ τὴν παροιμίαν πάντα ὅτι μάλιστα κοινὰ τὰ φίλων ποιεῖσθαι* et aliis locis. cfr. Astius p. 342 'der stat ist demnach nach der Platonischen ansicht gleichsam der erweiterte Pythagoreische bund und sein grundsatz das Pythagoreische princip *κοινὰ τὰ τῶν φίλων*'. quocum contendas quae contra dixit Morgensternius p. 216 sqq., inprimis vero adnot. 108 ad p. 216, 'non satis recte igitur illi qui universe

nullus esset, nihil curavit. cum igitur Aristoteles conmunionem illam nullo pacto fieri posse docet, id videlicet ad conmunionem inter custodes refert. quae omnia soli cupidiores iudices animadvertere nequeunt.

---

de perfecta quadam bonorum conmunione narrant a Platone introducta. haeserunt, puto, locis quibusdam, ubi Socrates minus adcurate loquens, ut fit in sermone, *omnia civium* inquit *conmunia esse debere*, adludens ad Pythagoricam vocem illam cuius meminit Cicero de Legg. I 12 *τὰ τῶν φίλων κοινά*'. quodammodo etiam apud Aristotelem proverbium illud valet. cfr. Ar. 1159b 31 — 32 *καὶ ἡ παροιμία 'κοινὰ τὰ φίλων' ὀρθῶς*. id. 1168b 6 sqq., 1263a 30. cfr. etiam apud Ciceronem de off. I § 51 'cetera sic observentur ut in Graecorum proverbio est *amicorum esse communia omnia*'.

III.

Restat ut de ratione quam Aristoteles cum Platone habebat et de illius severitate in considerandis huius de re publica libris adhibita cum non nullis censoribus disceptemus.

Quattuor potissimum crimina in Aristotelem ficta sunt: primum eum animo invidia ac malevolentia in Platonem subfuso ad huius scripta excutienda adgressum esse, deinde censuram eum scripsisse neque magistri doctrinam intellexisse, tum omisisse eum explorare quomodo coniugum liberorumque ac bonorum promiscuorum cogitatio Platoni inciderit, denique eum de Platonis consilio praecipuo mentionem facere debuisse, licet patratum ei non probaretur.

Primum equidem infenso animo atque inimico Aristotelem magistri philosophiam perstrinxisse praecise nego[88]). quam incusationem sine dubio Platonici propterea commenti sunt quod Aristoteles leves deteriorum Platonis discipulorum opi-

88) cfr. apud Stahrium p. 59 et apud Ritterum III p. 5 sqq., inprimis p. 9 'da Aristoteles in dem fall war seine abweichende meinung sagen zu müssen, kann ihm der tadel welchen er über die meinung des Platon ausspricht nicht zum tadel gereichen'. Zellerus II p. 216 'aus dem Platonischen system ist das seinige zunächst heraus gewachsen: mit diesem musz er sich vor allem vollständig auseinander setzen und die gründe darlegen welche ihn darüber hinaus führen. es ist daher nicht ehrgeiz und verkleinerungssucht, wenn Aristoteles immer wieder auf die Platonische lehre zurückkommt und die mängel derselben unermüdlich von allen seiten her auseinander setzt. diese kritik seines lehrers ist für ihn unerläszlich, um dem bewunderten vorgänger und der blühenden akademischen schule gegenüber seine philosophische eigentümlichkeit und sein recht zur begründung einer eigenen schule zu verteidigen'. cfr. apud eundem p. 7 — 13 et quae supra in proocmio p. 3 — 5 adlata sunt, praeterea Ueberwegius p. 140.

niones et quas quaestiones ex pectoris sui angustiis steriles in medium protulerunt ut doctrinae damnosas oppugnabat[89]). eorum autem adseclae postea eundem cursum tenentes viam munitam dilatarunt[90]), tametsi apud ipsum Platonem hominum de doctrinis suis contentiones animadvertimus, cum Aristoteles in disceptando nihil nisi res spectare consueverit. qui cum reapse Platonem non numquam aspere tractat, neutiquam cum hoc uno ita agit, verum etiam cum ceteris qui ante ipsum fuerunt philosophis, sicut in libro de re publica secundo reliquas rerum publicarum formas iudicans facit, quamquam hae rei verae propius accedunt quam Platonis[91]). quodsi eundem gravius exagitasse videatur, causa ex eo ipso repetenda est quod in maxima sunt dissensione deque quaestionibus gravissimis inter se vehementissime discrepant, neque vero quod suo nomine Aristoteles magistrum oderit[92]).

---

89) cfr. Ritterus III p. 11.

90) primas partes hic sustinuit Franciscus Patricius, ex cuius libro aliquot anthologica hoc loco tibi praebeam. p. 291 haec ait, 'reprehendit . . . plus quam alium quemquam Platonem praeceptorem quem LX et forte amplius locis nominatim est insectatus. sic enim placuit homini isti, omnium, uti Aelianus tradidit, inrisori, inmerito vexare venerabilem illum senem cuius doctrinae uberrimis lactibus inpinguatus fuerat, e schola eicere et provocacibus scriptis in omnem aeternitatem damnare. p. 313, quem venerabilem virum (sc. Platonem) discipulus iste multo saepius acrius acerbius quam antiquorum quemquam vexavit exagitavit sycophantamque in eum egit. p. 349, puerilis ac prorsus Aristotele tam gravi philosopho indigna reprehensio. p. 353, itaque tota haec Aristotelis cavillatio perversa fuit et prave sensus Platonici detorti. p. 359, itaque duo maxime miror. alterum est, Aristotelem tam gravem philosophum, qui veritatem potiorem amicis, potiorem sui ipsius scriptis habere profiteatur, falsas manifesto ac futtiles reprehensiones ubique in Platonem invexisse, cuius si interissent libri uti ceterorum veterum quos carpit, Aristotelis indubia veritas haberetur. alterum quod inter tot milia philosophorum Aristotelicorum Platonicorumque nemo sit inventus qui harum obiectionum veritatem de Aristotele exquireret nobisque post mille ac octingentos annos uti primi in hac arena essemus locum reliquerunt'. sed iam enumerandorum talium iudiciorum finem facio, doleo autem quod non adeptus sum Weinrichii librum qui inscribitur 'oratio apologetica pro Aristotelis persona adversus criminationes Patricii (Lips. 1614)'.

91) Ar. 1266a 32—33. *πᾶσαι δὲ* (sc *αἱ πολιτεῖαι*) *τῶν καθεστηκυιῶν, καὶ καθ' ἃς πολιτεύονται νῦν, ἐγγύτερόν εἰσι.*

92) propter contrarias in quas distracti sunt partes facile Aristoteles a

ac vix vitio vertere possumus tam acri censori quam erat Aristoteles quod adversarii opinionem interdum inriserit. quocirca illas rationes quas adfert Morgensternius[93]) ad probandam Aristotelis in praeceptorem iniquitatem minime satis firmas puto ut inde hostilem in modum illum habuisse Platonem liqueat, nec potest manifesto convinci huius verba illum de industria detorsisse, ut volunt Patricius[94]) Morgensternius[95]) alii. quid? si criticae nostratium rationem aculeatam ac magniloquam contemplamur, cum insolenter quisque iactans iudicia vel transversum, ut aiunt, digitum ab ipsius iudicio distantia pro nihilo putat eisque nullam relinquit locum et hanc ob causam in eum qui contra dixit multiplicia derivat crimina verborum tam quae narrabat quam quae non, ut hoc in campo illa impudentia exultet quae a M. Tullio[96]) Graeculis exprobrata est: nonne optandum videtur ut huiusmodi censores modum Aristotelis exemplar sibi imitandum proponant, illius quidem viri cuius non erat pleniore ore conlaudare, quia veritate ei nihil praestabilius erat ut ne amicitiae quidem neque pietatis rationem haberet[97]), qui tamen in vituperando sibi semper temperabat nec umquam a mediocritate a se ipso praescripta discedebat[98]). quid quod

---

doctrina Platonis abhorrere potuit (cfr. Ritterus III p. 10), minime tamen a Platone ipso alienam habuit voluntatem. cfr. Carriereus p. 9—20. nec vero sicuti hic contendere audeamus intima eos familiaritate coniunctos fuisse. ait ille quidem p. 65 'a philosophiae igitur parte tantum abest ut inimici sibi illi fuisse nobis videantur, ut quam familiariter altero alter usus sit adparcat'. nos satis habemus explorasse nullas cum Platone simultates Aristotelem gessisse. de istiusmodi simultatibus fictis pulcherrime disseruit Boeckhius p. 4, cum diceret 'nempe nobilibus ingeniis adhaerescere solent homines de plebe partam cum laude multa coronam studentes detrahere, ut suae fabis contagione adfectos ad ipsorumque levitatem delectos magnos habeant parvae sortis socios'.

93) p. 293—294.

94) p. 353, 359 cett. cfr. supra adnot. 90.

95) l. c. '. . . Platonis sensum non numquam aut detorserit . . .'

96) de finib. II § 80 'sit ista in Graecorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos a quibus de veritate dissentiunt'.

97) Ar. 1096a 14—17. cfr. supra p. 3 adnot. 11.

98) Ar. Eth. Nic. II 6 sqq.

etiam adversariorum eius unus[99]) in hac re iuste de eo sensit atque adeo eius defensionem suscepit?

A multis porro Aristoteles arguitur non intrasse in magistri mentem parumque eum intellexisse: quae criminatio nobis repudianda est[100]). nihil enim tam absurde dici potest quam illud a quibusdam hominibus doctis adseveratum, quasi sibi solis recta cognitio et intellegentia mandatae sint, ubi omnia crassis tenebris occultata et circumfusa erant ei viro qui viginti annos magistri rationem et artem coram ex ipso explanatam audiebat, illi philosopho subtili et veritatis investigandae studioso cui nemo inter veteres par fuit et quocum, ut ingenue confiteamur, inter recentiores etiam pauci conparari possunt[101]). esto: videatur Aristoteles interdum subobscurus in Platonis de ideis doctrina exponenda, idcirco tamen non est quod illum hanc minus percepisse viris doctis nostrae memoriae adsentiamur[102]); nulla quidem alia est eius

99) Pinzgerus p. 74 'repugnant enim Aristotelis mores aliunde noti' inquit, 'et prorsus indigna philosopho res est invidia et odio motum alius philosophi et quidem praeceptoris carpere et cavillari dicta, neque aliunde huius simultatis vel vestigia innotuerunt'.

100) belle de hac re Trendelenburgius Plat idd. p. 3 'Aristotelem vero Platonis philosophiam recte intellegere et candide tradere aut nescivisse aut noluisse nemo iure contendet. quodsi nescivisset Aristoteles tanti ingenii vir, per tot annos Platoni familiaris, quis tandem sciret? noluisse vero ii sibi suadeant qui iis quae hic illic apud priores scriptores de discidio inter Platonem et Aristotelem et de quadam Aristotelis in praeceptorem superbia leguntur fidem habere malunt quam magno et sincero Aristotelis ingenio, quale in scriptis ubique cernitur, et iis ipsis ex Platone apud Aristotelem exemplis quae cum Platone conlata optime conspirant. sed fuerint discidia, de quibus minime constat, num ex his consequens est Aristotelem Platonis philosophiam in peius detorsisse?' — cfr. etiam Carriereus p. 64—65 'quae cum omnia in unum ambitum conlegerimus, totius haec erit disquisitionis summa: Aristoteles Platonis doctrinam recte et intellexit et interpretatus est, sed quae erat philosophorum ipsorum eorumque sententiarum indoles, saepe eum refutavit, quod ita semper instituit ut quomodo ex illis quae non plane conprobavit dictis alterius quid et aliud sequatur ostendere studuit'. — praeterea cfr. Kranichfeldus p. 25 'non invenimus eum (sc. Aristotelem) qui doctrinam acceptam perperam intellexerit, potius eum qui sagaciter eam perspexerit, perspectam verbo saepius et nutu accusatores iniquos haud raro effugiente diiudicaverit nec non correxerit'.

101) cfr. quae scripsit Tennemannus p. 327 et ad eius verba Hilarius in praef. p. XII.

102) cfr. Brandisius de idd. p. 2 'neque equidem contenderim Aristote-

rei causa nisi ipsi illi doctrinae nox obfusa. nec poterant talia opinionum commenta sterilia adprobari ab Aristotele viro arido et naturae quasi frigidae, qui ubique τὸ πρακτὸν ἀγαθὸν anquirebat omnique ingenii acie contemplabatur[103]) atque ideo et magistri sui ascensionem tum arcanam tum poeticam sequi nolens[104]) ab ideis quas apte dixit αἰσθητὰ ἀΐδια abhorrebat[105]) et eiusmodi res futiles commenticiasque, ac quidem non in Platonis solum disciplina sed etiam in reliquorum qui ante vixere philosophorum sententiis, parum videtur mente conprehendisse[106]).

Sed cum Stuhrium loqui audimus, quid ex eius sermonibus teneamus plane nescimus. etenim identidem Aristotelem insimulans in Platonem vituperationes iniustas effudisse modo illum non intellexisse huius rationem neque eius sensum adripuisse dicit[107]), modo in libris Platonis qui sunt de re publica iudicandis ab Aristotele aspere tractatum esse ait magistrum, in quem ad summam ille animo fuerit inimico[108]). ipse viderit Stuhrius quomodo utrique illi causae satisfaciat, ambaene rationes ad iudicium Aristotelis momentum habuerint, an Aristoteles Platoni quia eum non intellexerit infestus fuerit, an eum non intellexerit quia ob invidiam acies ingenii fuerit praestricta. qui vero ab eo qui disciplinam aliquam mente

---

lem magni doctoris doctrinam satis mente conprehendisse, immo crediderim numquam eum minus acutum esse quam ubi contra Platonis ideas disputat'.

103) Ar. E. N. I 4, inprimis p. 1096b 31 — 35. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῆς ἰδέας· εἰ γὰρ καὶ ἔστιν ἕν τι τὸ κοινῇ κατηγορούμενον ἀγαθὸν ἢ χωριστόν τι αὐτὸ καθ' αὑτό, δῆλον ὡς οὐκ ἂν εἴη πρακτὸν οὐδὲ κτητόν ἀνθρώπῳ. νῦν δὲ τοιοῦτόν τι ζητεῖται.

104) Tennemannus p. 25.

105) cfr. Zellerus II p. 216 sqq.

106) cfr. Ritterus III p. 18 'dieselbe bemerkung . . . drängt sich uns auf, wenn wir seine kritischen betrachtungen über die früheren philosophischen lehren ins auge fassen . . . besonders wo der ausdruck einen dichterischen schwung gewinnt und in bildlicher weise oder im sinne eines ganzen systems genommen werden will, verrät Ar. eine trockene und unzureichende auffassungsweise' (?).

107) cfr. pp. 106, 125, 127, 172, 216.

108) p. 171 — 172.

non conprehenderit postulari possit ut illam respiciat, id quod Stuhrius[109]) ab Aristotele flagitavit, equidem adsequi nequeo.

Haec est enim tertia vituperatio Aristotelis, quod explorare omiserit quemadmodum Plato in cogitationem communionis inciderit et quemadmodum haec conmunio cum disciplinae Platonicae praeceptis cohaereat[110]). quae obiectatio tribus verbis arbitror confutari potest. sane si Aristoteles historiam singularum rerum publicarum rettulisset, interiora fateor ei videnda et radices cuiusque investigandae fuissent, earumque non tantum Platonis verum etiam ceterarum et a reliquis scriptoribus propositarum et re vera consistentium. atqui illud numquam in animum induxit, immo id laboravit ut exemplar et formam optimae rei publicae inveniret. hanc ob rem diversos rerum publicarum modos intuebatur, ut examinatis eis normam optimae rei publicae cognosceret[111]). in quo proposito quid ei profuerit quaestio lata ex quanam sententia haec illave ratio sit orta et quatenus toti auctoris disciplinae congruat?

Ex hac vero vituperatione, quod neglecta sit quaestio de ortu conmunionis Platonicae, uectitur quarta, quod Aristoteles finem Platoni propositum non conmemoravit cum laude[112]).

Quam grandis sit haece Platonis sententia nos minime ignoramus[113]) nec Aristoteles reapse ignorabat[114]). ac sine

109) p. 125 et al.

110) ibidem.

111) Ar. 1260b 32 sqq, cfr. supra p. 6 adnot. 21.

112) Morgensternius p. 168—169 'hanc egregiam doctrinae Platonis politicae partem nollem ab Aristotele in examine neglectam'. p. 293 'haec quae Plato de fine primario rei publ. tum in Politia adumbratae tum in opere de legibus adcurate descriptae praeclare decrevit, Aristoteles in exponenda utriusque civitatis Platonicae natura cum laude conmemorare debuisset, nec solum adferre illa de uxorum liberorumque conmunione et de conmunione patrimoniorum'.

113) cfr. Hermannus Plat. phil. p. 551 et quae dicit Astius p. 45 'Platon stieg zur idee dessen auf was der mensch überhaupt und an sich sein musz, und ebenso betrachtete er die tugend, den stat, die natur u. a. nicht in ihrer veränderlichen erscheinung sondern in ihrem unwandelbaren ewigen und notwendigen wesen'.

114) Ar. 1263b 15—16. *εὐπρόσωπος μὲν οὖν ἡ τοιαύτη νομοθεσία καὶ φιλάνθρωπος ἂν εἶναι δόξειεν.* inprimis 1265a 10—12 *τὸ μὲν οὖν περιττὸν ἔχουσι πάντες οἱ τοῦ Σωκράτους λόγοι καὶ τὸ κομψὸν καὶ τὸ*

dubio consilium Platonis magnopere laudandum est[115]): nam invidiae et discordiarum quae iam multas civitates perverterunt semina illa via excidi et primo quoque tempore opprimi atque extingui voluit. praescriptis illis vitae institutionibus civem existimavit se totum ad virtutem exercendam et ad officia colenda conferre posse. nec nos non concedimus universum eius propositum non merum somnium inanemque imaginationem fuisse et mentem eiusdem in summa ad rem veritatemque spectasse, ut eius res publica utpote in iis quae Graeci de rebus humanis senserint posita locum iustum habeat[116]). sed si Aristoteles, ut Morgensternius[117]) et Stuhrius[118]) et alii eius adversarii frequenter ipsi confitentur, communionem Platonicam secundum naturam humanam cui illa repugnat recte inprobavit; si ipsi illi concedunt Platonis sententiam suae aetati quam maxime adversari, cum

καινοτόμον καὶ τὸ ζητητικόν. quodsi Socrates vel Plato non semper recte iudicabat, id omnino humani ingenii infirmitati consiliique inbecillitati attribuendum est. hoc enim intellegi voluit Aristoteles cum diceret ib. v. 12—13 *καλῶς δὲ πάντα ἴσως χαλεπόν.*

115) cfr. Morgensternius p. 217—218.

116) cfr. Hermannus Plat. phil. p. 541 sqq., Stuhrius in praefatione p. IV—V et 38—43 etc., Mohlius p. 221, Erdmannus p. 109 'dies sind die leitenden gesichtspunkte bei seinen schon damals von vielen verlachten vorschlägen, von denen übrigens keiner rein aus der luft gegriffen ist, sondern zu denen er annäherungen in dér verfassung fand die er überhaupt, ohne ihre mängel zu verkennen, am höchsten stellte, in der spartanischen. da gab es heloten und periöken zu denen er seine arbeiter macht, da gab es speisegenossenschaften, da gab es mehr gelockerte ehen, da wurden die kinder früh ganz eigentum des states, da gab es ursprünglich ein verbot des geldes usw. alles dies wird nun mit an übertreibung streifender consequenz durchgeführt und dem eingerissenen egoismus gegenüber gefordert dasz der mensch lediglich bürger sei'.

117) p. 293 '. . . singularia ista commenta de mulierum liberorum reique familiaris communione, quatenus ad hominis naturam qualis esse solet respiciatur, bene refutasse Aristoteles . . .'. p. 294 'non nulla eorum quae adfert adversus Platonem, quatenus ad hominum naturam qualis esse solet respiciatur, optime illi opponuntur'. cfr. etiam quae idem scripsit p. 231—232 'quamvis probabiliter istorum institutorum commoda exposita sint ab inventore, nihilo minus hic insigne exemplum habemus phantasiae ultra quam philosophum decet evagantis et pro veritate vanas imagines amplectentis'.

118) cfr. praecipue p. 43.

Aristoteles planissime poscat ut leges tempori serviant[119]); si non id solum agitur ut civitas ex arte conponatur sed ut recte conficiatur[120]); si Aristoteles dumtaxat in veritate versatur et in suo contemplandi genere ipsis verae vitae conditionibus continetur[121]): equidem nequaquam perspicio quo tandem modo ab Aristotele Platonis et praeceptorum et ingenii vividi laudatio expectari possit. quia idem Aristoteles disputationem de generibus civitatum condendarum praecipue ideo suscepit 'ut illud quod rectum sit et utile adpareat'[122]), nihil aliud spectare potuit nisi ut facta habitumque rerum publicarum exponeret nec vero omnem finem cum unaquaque coniunctum percenseret[123]). quae cum ita sint, nullo pacto hoc in genere Aristotelem recte obiurgari posse ac multo minus eum ob angustam obtrectationem sive adeo ob odium eximias magistri virtutes agnoscere noluisse arbitror.

Quae purgatio etiam probabilior fit, si reputamus non adversus unum Platonem sic se gessisse Aristotelem sed omnino omnibus in iudiciis de prioribus philosophiae scriptionibus. tota enim librorum conformatione minus eo tendebat

---

119) cfr. Ar. 1265a 18 sqq.

120) Cic. de rep. II 30 Platone conmemorato 'civitatemque' inquit 'optandam magis quam sperandam quam minimam posuit, non quae possit esse sed in qua ratio rerum civilium perspici posset effecit'.

121) Stuhrius in praef. p. IV, insuper pp. 44—47, 125, 216.

122) Ar. 1160b 32 — 33. *ἵνα τό τ' ὀρθῶς ἔχον ὀφθῇ καὶ τὸ χρήσιμον.*

123) rectissime Nickesius p. 44 'duas autem initio libri II. rationes attulit cur civitates ab aliis descriptas diiudicaturus esset antequam de optima quaereret. unam esse ut quod bonum et utile esset perspiceretur, alteram ut adpareret quaestionem de optima re publica a se institutam esse non quod *σοφίζεσθαι* vellet sed quia omnes rei publicae descriptiones non recte se haberent. hac potissimum ratione cum commotus esset ad res publicas examinandas, videndum fuit non tam quid recte alii quam quid secus dixissent, nec tam quid esset laudandum quam quid vituperandum. quod qui secum reputaverit certe non mirabitur quod eas quas alii finxerunt civitates ita diiudicavit ut quae recte constituta essent aut omnino non proferret aut leviter attingeret, quae minus recte exquireret et vituperaret. verum enimvero hanc rationem secutus illud quod sibi proposuerat alterum adsecutus esset ut quod bonum et utile esset cognosceretur: refutandis enim erroribus vera semper conprobantur'.

ut quemque philosophum pro merito inlustraret quam ut praeceptis aliorum adspectis inpediret quominus erroribus longe lateque diffusis discipuli ipsius inplicarentur[124]). neque potuit ubi ars ipsa agebatur praeceptorem excipere.

'At' pergit Morgensternius[125]) 'quatenus perfecti ideam, non quae fieri sed quae cogitari dumtaxat possit, animo informavit Plato, in eum non cadunt' quae contra scripsit Aristoteles, qui 'illud ne verbo quidem attigit quod alicubi ipse praecipit esse distinguendum in rerump. formis diiudicandis: alterum *εἴ τι καλῶς πρὸς τὴν ἀρίστην νενομοθέτηται τάξιν*, alterum *εἴ τι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν*[126])'. at primum Morgensternius non animadvertit Aristotelem hoc praeceptum suum non ad descriptiones rerum publicarum quales esse deberent rettulisse, sed his expeditis ad receptas subsequentes[127]), quippe quibus maius aliquid tribuendum sit. 'accedit huc' ut ipse Morgensternius[128]) concedit 'quod Aristoteles Platonis Πολιτείαν diiudicat non nisi ex parte politica, a qua omnino minus pure illa nitet quam a parte primaria, morali.' denique vero etiam atque etiam id premendum est quod menti Aristotelis omnis ista cogitatio visum splendidum quidem sed simul monstrosum adparuit, non modo quod fructus huius institutionis quamvis sublimitate excellentis eventis quae ipse fusius explicat deterioribus praeponderarentur et quod ipsa ea quae Plato communione sua praecavere vellet, velut dissensiones atque discordias, eadem maxime augerentur[129]), sed quod

124) Ritterus III p. 10.

125) p. 294.

126) cfr. Ar. 1269a 29—34.

127) recte igitur initium capitis VIIII. libri II. ex Aristotelis de rep. libris pluribus verbis Biesius II p. 444 hoc modo exponit, 'was nun diejenigen statsverfassungen betrift welche in einzelnen staten zur ausführung gekommen sind und wegen ihrer guten einrichtung im rufe stehen, so sind für die beurteilung solcher verfassungen besonders zwei punkte ins auge zu fassen' et quae secuntur.

128) p. 295.

129) Ar. Pol. 1263a 15—21. *ὅλως δὲ τὸ συζῆν καὶ κοινωνεῖν τῶν ἀνθρωπικῶν πάντων χαλεπόν, καὶ μάλιστα τῶν τοιούτων. δηλοῦσι δ' αἱ τῶν συναποδήμων κοινωνίαι· σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι διαφερόμενοι ἐκ τῶν ἐν ποσὶ καὶ ἐκ μικρῶν προσχρώντες ἀλλήλοις. ἔτι δὲ τῶν θερα-*

haec omnia omnino effici non possent[130]). et quantumvis licet ipse Plato excelsa sua cogitatione captus esset, ita ut in principio ne minimum quidem dubitaret quin illa non simpliciter effici non posset[131]), tamen iam progrediente sermone in dubium venit num posset consilium suum in terra patrari[132]), donec tandem aetate provectiori sibi plane persuasit quam mente finxerit rem publicam rebus humanis minime adcommodatam esse, quippe cum ipse de legibus disserens rebus domesticis multum tribueret, familiam in dignitatem antiquam restitueret, matrimonio sanctitatem pristinam redderet, separatam bonorum possessionem vellet, denique omnino naturae rationem duceret[133]), quoniam communio nisi apud deos deorumque filios effici non posset[134]). gravius profecto argumen-

---

πόντων τούτοις μάλιστα προσκρούομεν οἷς πλεῖστα προσχρώμεθα πρὸς τὰς διακονίας τὰς ἐγκυκλίους. id. 1263b 23—25. *ἐπεὶ καὶ τοὺς κοινὰ κεκτημένους καὶ κοινωνοῦντας πολλῷ διαφερομένους μᾶλλον ὁρῶμεν ἢ τοὺς χωρὶς τὰς οὐσίας ἔχοντας.*

130) quae vero effici non possunt, ea ne optanda quidem sunt. cfr. Ar. 1325b 38—39 *διὸ δεῖ πολλὰ προϋποτεθεῖσθαι, καθάπερ εὐχομένους, εἶναι μέντοι μηθὲν τούτων ἀδύνατον.*

131) Pol. 502c. *χαλεπὰ δὲ γενέσθαι, οὐ μέντοι ἀδύνατά γε.* 540d *ξυγχωρεῖτε περὶ τῆς πόλεώς τε καὶ πολιτείας μὴ παντάπασιν ἡμᾶς εὐχὰς εἰρηκέναι, ἀλλὰ χαλεπὰ μέν, δυνατὰ δέ πη.* cfr. ib. 471c sqq. & legg. 739a sqq., 746b sqq.

132) Pol. 592a—b. *ἐν ᾗ νῦν διήλθομεν οἰκίζοντες πόλει λέγεις τῇ ἐν λόγοις κειμένῃ· ἐπεὶ γῆς γε οὐδαμοῦ οἶμαι αὐτὴν εἶναι. Ἀλλ', ἦν δ'ἐγώ, ἐν οὐρανῷ ἴσως παράδειγμα ἀνάκειται τῷ βουλομένῳ ὁρᾶν καὶ ὁρῶντι ἑαυτὸν κατοικίζειν.*

133) Hermannus Plat. phil. p. 546 '. . . als wir an den gesetzen sehen' inquit 'dasz er sich in den letzten jahren seines lebens bei weitem nicht so sehr mit politischen utopien als vielmehr mit dem gedanken beschäftigte wie seine statsansichten den gegebenen verhältnissen anzupassen sein möchten'. Mohlius p. 222—223 'in dem werke über die gesetze, seinem allerletzten, stimmt Platon diese forderung an ein dem idealen guten entsprechendes gesamtleben bedeutend herunter, namentlich in der richtung dasz der selbständigkeit der einzelnen bei weitem mehr rechnung getragen wird'. cfr. etiam apud Erdmannum p. 111 sq.

134) cfr. legg. 739d. *ἡ μὲν δὴ τοιαύτη πόλις, εἴτε που θεοὶ ἢ παῖδες θεῶν αὐτὴν οἰκοῦσι πλείους ἑνός, οὕτω διαζῶντες εὐφραινόμενοι κατοικοῦσι.* 875c—d. *ἐπεὶ ταῦτα εἴ ποτέ τις ἀνθρώπων φύσει ἱκανός, θείᾳ μοίρᾳ γεννηθείς, παραλαβεῖν δυνατὸς εἴη, νόμων οὐδὲν ἂν δέοιτο ἀρχόντων ἑαυτοῦ . . . νῦν δὲ οὐ γάρ ἐστιν οὐδαμοῦ οὐδαμῶς ἀλλ' ἢ*

tum ad levitatem cuiuspiam opinionis declarandam reperire vix possis, quam si eam ipse auctor postea plus expertus abiecere coactus est. quo igitur modo exigere liceat ab Aristotele ut cogitationem Platonicam laudibus ferat? siquod propositum omnino perfici non potest, quid tandem nobis prosit bonum consilium? nempe rem publicam utique necesse est non in sola cogitatione existere.

Quid quod etiamsi Platonis cogitatio effici potuisset, Aristoteles tamen eam comprobare non poterat? etenim quamquam Stubrii[135]) opinionem, quam eandem iam Victorius Cusinius habuit sed redarguit Hilarius[136]), Aristotelem sola commoda utilitatemque numquam non intuitum esse et ubique omnibus rebus longe antetulisse, neutiquam sequi possumus, negari tamen nequit Stagiriten in loco suo, ubi semper eius animo ἡ εὐδαιμονία ad quam omnia referebat obversabatur[137]), utilitatem, quatenus coniuncta est cum fine in ipsa re sita, haud neglexisse, nisi quod postponebat eam honestati quae apud eum primas tenebat, quandoquidem beatitudinem non bonis tantum externis sed perpetua animi agitatione virtuti consentanea contineri voluit[138]). Platonis vero propositum Aristotele iudice nequaquam ita comparatum est ut beatitudinem illam secum ferat, sed ei potius obsistit, ut non modo non utile sit verum etiam perniciosissimum. Aristoteles igitur cum iustam rei publicae formam semper ad salutem communem spectare in eamque incumbere voluis-

---

κατὰ βραχύ. cfr. ib 771e—776b, 859—841, 930, praeterea 739 extr. νειμάσθων μὲν δὴ πρῶτον γῆν τε καὶ οἰκίας καὶ μὴ κοινῇ γεωργούντων.

135) pp. 44, 47, 125, 216.

136) in praef. pp. XXXV & XXXVII—XXXVIII recte innisus ipsius Aristotelis (1338b 2—4) verbis τὸ δὲ ζητεῖν παντιαχοῦ τὸ χρήσιμον ἥκιστα ἁρμόττει τοῖς μεγαλοψύχοις καὶ τοῖς ἐλευθέροις.

137) tota prima Politicorum libri IIII (vulgo VII) parte docemur beatitatem esse etiam rei publicae rationem. ac cfr. potissime 1278b 23—24 μάλιστα μὲν οὖν τοῦτ' ἐστὶ τέλος καὶ κοινῇ πᾶσι καὶ χωρίς, 1097a 34—1097b 9, 1099a 24 sqq. cett.

138) Ar. 1098a 16—17, 1099b 26, 1101a 14 sqq., 1177a 10—13 cett. cfr. Biesius II pp. 259—274, Kranichfeldus p. 33 sqq., Laasius potissimum pp. 5—39.

set[139]), magistri sui rem publicam utpote ad salutem publicam non adcommodatam non potuit non praecipitare, nec licuit ei silentium obtinere, ubi civitas, si illud consilium esset effectum[140]), detrimentum cepisset.

Verum enimvero vix possumus risum tenere, cum audimus quod Stuhrius[141]) dicit rei publicae rationem ab Aristotele conpositam in sui amore consistere. sed ne Plato quidem in constituenda re publica sibi aliud proposuit[142]) atque Aristoteles et hic voluptatis notionem a beatitate diligenter secrevit[143]), etsi id Stuhrius noluit concedere. virtutem enim Aristoteles τῇ εὐδαιμονίᾳ ac τῷ εὖ ζῆν praeposuit vitamque beatam maxime contineri voluit virtute ut haec beatitudine prior esset. beatitudinis autem notionem omnino non ex sui amore neque utilitatis domesticae gratia attulit, sed solum ex animo suo veritatem intuenti. quapropter illud Stoicorum ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν[144]) a sententia Aristotelis discrepat[145]), qui in eo non adquievit, quoniam idem, cum hominum vita bonis externis carere ne-

---

139) Ar. 1160a 12—14, 1278b 21—24, 1279a 17—19 al. cfr Stuhrius p. 216.

140) cfr. Ar. 1264a 5 sqq.

141) p. 215 'Aristoteles war aber selbst schon mit seinem geiste in eigensucht versunken, wie sehr bestimmt daraus erhellt dasz seinem bewustsein nicht schon das sittlich gute an sich als das höchste gut und um sein selbst willen begehrenswerteste entgegen getreten war, sondern nur die selbstischer begier fröhnende (!) glückseligkeit. der gedanke an glückseligkeit als höchstes gut wurzelt in selbstischer neigung'. at cfr. Zellerus II p. 480 sqq.

142) Pol. 420b. *οὐ μὴν πρὸς τοῦτο βλέποντες τὴν πόλιν οἰκίζομεν ὅπως ἔν τι ἡμῖν ἔθνος ἔσαι διαφερόντως εὔδαιμον, ἀλλ' ὅπως ὅτι μάλιστα ὅλη ἡ πόλις.*

143) Ar. 1095b 14—17, praecipue vero 1177a 9—10 *οὐ γὰρ ἐν ταῖς τοιαύταις διαγωγαῖς ἡ εὐδαιμονία ἀλλ' ἐν ταῖς κατ' ἀρετὴν ἐνεργείαις.*

144) cfr. Cic. parad. II.

145) Tennemannus p. 258 'Aristoteles nimmt überhaupt in der praktischen philosophie, abweichend von seinem lehrer, indem er das höchste gut zu bestimmen sucht, sogleich auf den menschen und seine natur rücksicht und erörtert daher nicht was absolut gut sondern was für den menschen das höchste gut ist'. cfr. Ar. 1096a 34 sqq.

queat, nihil est nisi fictum. neque enim possumus vel certe difficillimum est beate et honeste vivere, si egentes sumus[146]).

Proinde ipsi illi vituperatores Stagiritae negare non queunt et eius rem publicam ad hominum naturam adcommodatam eoque ipso ad exaedificandum multo magis idoneam esse[147]) et auctori utique ob perspicuam confinii, ut ita dicam, vitae civilis et naturalis cognitionem palmam esse deferendam[148]). cum enim Plato medium inter singulos et civitatem ignorans illos per se elementa civitatis existimaverit, Aristoteles viam naturae convenientem ingressus ex singulis familias ex eisque civitatem evadere fecit[149]). ipsius autem Stuhrii[150]), qui in hoc genere Stagiritae suum ius tribuit, verba hic adferamus. 'die familie' inquit 'ist die erste und ursprünglichste sittlich geregelte form einer dauernden menschlichen gemeinschaft, und eben deshalb suchte auch Aristoteles in ihr mit recht das urelement des states. in der familie erst beginnt die entwickelung zu einem wahrhaften statlichen und geschichtlichen leben .... sittlich geregelt wird das leben der menschen auf erden nur erst durch wolgeordnete

---

146) Ar. 1099a 31—33. *φαίνεται δ' ὅμως καὶ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν προσδεομένη, καθάπερ εἴπομεν· ἀδύνατον γὰρ ἢ οὐ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα.*

147) de quo haec praeclare dicta apud Prantlium p. 344 legimus, 'so enthalten auch die statswissenschaftlichen lehren des Aristoteles eine solche fülle tiefen verstandes und sittlicher gesinnung dasz selbst unter völlig veränderten verhältnissen gar manches was schon Arist. gesagt hat als bleibende oder stets widerkehrende wahrheit anerkannt wird'. commode etiam Starkius p. 4 ait gigni civitatem de Aristotelis sententia primum natura, deinde quodam genere ingenii atque exercitationis, tum recto ordine. horum trium principiorum alii cum alio qualem intercedere necessitudinem eorumque coniunctionem ut in unum confundantur idem exponit p. 4 sqq.

148) Stuhrius in praef. p. VI. cfr. Ritterus II p. 470 'es ist offenbar dasz Platon nicht recht den übergang zu finden wuste von der ideenwelt zu dem sinnlich vergänglichen'. Hilarius praef. p. III de Platone 'renfermé dans le monde des Idées qu'il avait créé' inquit, 'il n'en sortit pas'.

149) Stuhrius l. c.

150) ibid. p. VII—VIII.

formen des familien- und hauswesens, aus denen sich in ihrer verklärung ein fester grund und boden zu höherer geistiger entfaltung bildet. weil Aristoteles dies erkannt hatte und so den stat als eine verbindung von familien betrachtete, deren jede ein teil des states wäre, geriet er nicht auf jenen unserem bewustsein widerwärtig entgegen tretenden gedanken von der gemeinschaft der frauen und güter'. attamen non tantummodo non incidit Aristoteles in cogitationem illam mirabilem, sed iam excitatae inanitem et incommodum patefacere conatus est, dum ipse veram unitatem internam anquirit, qua singula civitatis elementa ex semet ipsis apta inter se coagmententur nectanturque ut corpus unum conficiant.

VITA SCRIPTORIS.

Mitaviae, in capite Curoniae, a. d. XII. kal. octobres anni MDCCCXXXVII parentibus Iudaicis, patre Aharono Benziono Ehrlichio, cuius inmaturam mortem graviter maereo, matre Carolotta e gente Loevenbergiana, natus prima litterarum cognitione cum ab ipsis parentibus tum in schola pii Mansfeldi et in schola Mitaviensi Caesarea inbutus, Hebraea vero ac Talmudica ab avo beato Loevenbergio edoctus sum. puer admodum inopia parentium coactus sum ut priusquam ipse satis didiceram alios erudirem et nondum duodevicesimum annum agens praeceptoris domestici provinciam Cruceburgi, in oppidulo regionis Vitebscinae, susciperem. annis fere tribus interiectis Fridericistadii, in urbe Curoniensi, in ludo litterarum Caesareo idibus martiis anni MDCCCLVIII aperto docendi munus mihi probationis periculo in gymnasio urbis patriae bene defuncto mandatum est. sed semper mihi in optatis erat peregre abire ut humanitatem politiorem adriperem. itaque tribus annis ac fere dimidio praeteritis me idibus sextilibus anni MDCCCLXI munere meo abdicavi. quo facto, cum kalendis octobribus eiusdem anni patria cessissem, Berolinum urbem summae eruditioni domicilium ac sedem praebentem petii, ubi anno post, idibus octobribus a. MDCCCLXII, in gymnasium Fridericum a rectore inlustrissimo Krechio receptus extra hunc exquisitos habui magistros Amenum Buechsenschuetzium Fleischerum Herrigium Laasium Rungium Schuetzium Schultzium. testimonium autem maturitatis honorificum adeptus et in universitatis litterarum Berolinensis cives relatus per septem semestria spatia audivi disserentes b. Boeckhium Dietericium Droysenum Hauptium Kiepertum Kirchhoffium Lepsium Michaelisium Mommsenum Muellenhoffium Petermannum Roedigerum Steinthalium Trendelenburgium. praeterea et exercitationibus quas moderatur Trendelenburgius philosophis et scholis seminarii Regii philologici per totum academicorum studiorum curriculum interfui.

THESES.

1. Aristoteles cum in disputationibus suis de vita et moribus tum in omni mundi contemplatione non ad utilitatem externam sed ad finem interiorem spectat.
2. antiqua Hebraeorum poesis Arabicae praeferenda est.
3. summa critici virtus temperantia est ut sibi ipsi fateatur se non omnia scire posse.
4. Horatianae illi locutioni *stans pede in uno* (sat. I 4 10) nulla alia subiecta est notio quam exigui temporis et maximae celeritatis.
5. in Cat. LXVI 59 (p. 58 21) pro vocibus codicum inanibus *hi* (vel *ni*) *dii* (*ven*) cum Mauricio Hauptio *ardui* legendum est.
6. cum prudenti iudicio idem Hauptius contra Im. Bekkerum in carminibus Homericis simpliciores similitudines easdem esse principales docuit (conf. Lachmann's betracht. p. 102 sq.).
7. perperam Nauckius in Soph. Electr. v. 691 δρόμων tuetur.
8. ubiubi ὅ ἥ οἵ αἵ vocabula demonstrativorum pronominum modo dicuntur, inprimis in hoc dicendi genere ὃ μὲν — ὃ δὲ cett., utique accentus nota insignienda sunt (conf. Reizius I § 5a pp. 9 sqq. et 17 sq. et ad haec in epim. p. 8 sqq.).

BEROLINI INPRESSIT IULIUS SITTENFELD.